Chr. Stenbuchius


Exerc. phil.

in qua

III. vaticiniorum...


1656

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 00864 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 864




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 00864 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 864


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 00864 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 864



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 00864 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 864



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 00864 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 864



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 00864 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 864

1,-76,-4°

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°

1 1 01 0 4 00864 2

+REX

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 00864 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 864

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 00864 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 864

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 00864 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 864

O. Steenbuch.

III. vaticiniorum

(Gen. XLIX, 2 – 13.)

versiones cum textu Ebr. consentientes.

Hafn., 1656.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 00864 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 864

1,-76,-4°

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 00864 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 864

EXERCITATIO PHILOLOGICA
In qva
III. VATICINIORUM
Gen. XLIX, à comm. 2, usq; ad 13 deſcriptorum
Verſiones
Græcæ, Latina Vulgata, Hieronymi,
Ambroſii, Arabica, Paraphraſes Chaldaicæ,
cum Textu Ebræo conferuntur,

PUBLICÆ DISQVISITIONI
Excellentiſſimorum & Clariſſimorum Regiæ Hafnienſis Academiæ Profeſſorum

SUBMISSA
XXII. Martii cIↄ Iↄc LVI,
A
CHRISTIANO STENBUCHIO.

Reſpondente
ESAIA FLEISCHERO.

HAFNIÆ
Literis PETRI MORSINGI, Reg. & Acad. Typogr.

605

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 00864 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 864

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 00864 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 864

בשם יהוה :

VIcinus morti Jacobus Patriarcha vocari ad ſe filios ſuos curat, eisq; tum ventura prædicit, tum benedicit. Rei geſtæ narrationem tradidit nobis Sacer Scriptor, cap: 49. libri בראשית. In filiis recenſendis ordinem generationis non ſervat Patriarcha, ſed præmiſſis ſex, ex primâ uxore Leâ genitis, ſubjungens qvatuor ex duabus ſervis prognatos, tandem ſubſiſtit in duobus ex ſecunda uxore Rachele natis. Commate 3 & 4 prædicti capitis de primogenito ita ait:

רְאוּבֵן בְּכֹרִי אַתָּה כֹּחִי וְרֵאשִׁית אוֹנִי יֶתֶר שְׂאֵת וְיֶתֶר עָז׃

פַּחַז כַּמַּיִם אַל־תּוֹתַר כִּי עָלִיתָ מִשְׁכְּבֵי אָבִיךָ אָז חִלַּלְתָּ יְצוּעִי עָלָה׃

Helleniſtæ: Ῥουβὴν πρωτότοκός μου, σὺ ἰσχύς μου, καὶ ἀρχὴ τέκνων μου, σκληρὸς φέρεσθαι, καὶ σκληρὸς αὐθάδης. Ἐξύβρισας ὡς ὕδωρ· μὴ ἐκζέσῃς· ἀνέβης γὰρ ἐπὶ τὴν κοίτην τοῦ πατρός σου. τότε ἐμίανας τὴν στρωμνὴν, οὗ ἀνέβης. Vulgat: *Ruben Primogenitus meus. Tu fortitudo mea & principium doloris mei. Prior in donis: major in imperio. Eſſuſus es ſicut aqva. Non creſcas: qvia aſcendiſti cubile Patris tui: & maculâſti ſtratum ejus.*

בכרי אתה *Primogenitus meus tu.*] Minus rectè has voces ſeparant verſiones. Nihil enim freqventius, qvàm e-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 00864 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 864

jusmodi conſtructio, qvâ Nomini Pronomen, cujuscunqve perſonæ, loco verbi ſubſtantivi, ſubjungatur. Pſalm: II, 7. *Filius meus tu.* Ruben contractè dicitur pro Reuben: qvemadmodum plerumqve nomina propria Ebræorum in alias translata lingvas: inprimis ſi gutturalem in medio habeant. Perperam interpretantur qvidam, *videte in medio*, confundentes בן & בין. malè etiam *Gloſſæ Philonis, Rubeni, viſio filij mei*, vel *videte inter me.* vertendum, *videte filium.* non tamen ſenſu, qvo exiſtimant nonnulli, q. d. ecce filium peperi, non filiam. Reclamat enim Sacra Hiſtoria Geneſ: XXIX, 32. Itaq;, videte filium, ſc: qvem dedit mihi Deus, afflictionem meam reſpiciens. Qvi Leam exiſtimant, 4 habuiſſe afflictiones, nempe à Rachele eſſe contemptam, à viro neglectam, ab omnibus pro externa habitam & ſuppoſititia, à Deo abjectam, merâ hi conjecturâ nituntur. Vocem enim explicat præcedens comma: nempè qvòd שְׂנוּאָה exoſa esſet, id eſt, minùs amata qvàm Rachel. Sperat itaq; ob natam jam prolem, in poſterum, majorem viri erga ſe benevolentiam. Comm: 30. Vulgatus Interpres τὸ עני minus rectè vertit humilitatem, cum ea propriè ſit virtus moralis ſuperbiæ oppoſita. Hellen: διότι εἶδέ μου Κύριος τὴν ταπείνωσιν, humiliationem meam, vilem meam & afflictam conditionem. Eâdem voce utitur Deipara virgo, Luc: I, 48. בכור ſignificat omne primogenitum ab homine usq; ad jumentum. pro qvo dicitur, *primò aperiens vulvam.* Exod: XXXIV, 19, vel, *primò aperiens.* comm: eod: & 20. Conjunctim Levit: III, 12. *primogenitum primò aperiens vulvam:* Ubi Subſtantivum פֶּטֶר, formæ ſex punctorum, ſumitur adjectivè. *Prima apertio vulvæ*, pro, *primò aperiens vulvam.* Διανοίγων μήτραν. Primogenitus dicitur Ebræis, ante qvem genitus eſt nullus. Itaq; perinde fuerit, ſive alius poſtea gignatur, ſive non. Atq; ita intelligenda τῷ בכור correſpondens, vox Græca πρωτότοκος. Matth: I, 25. Luc: II, 7. Vox כח propriè ſignificat vires, robur, virtutem operativam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 00864 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 864

vam per externas actiones ſe exerentem; & pro ſubjectorum, qvibus tribuitur, varietate varias qvoq; emphaticas in generali illâ primâq; notione includit ſignificationes. Hinc etiam conjungitur cum iis corporis partibus, in qvibus robur præcipuè conſiſtit, qvæq; in in actionibus externis primas tenent. Exod: XXXII, 11. *potentiâ magnâ & manu forti.* 2. Reg: XVII, 36. *potentiâ magnâ & brachio extenſo.* Devter: VIII, 17. Jeſai: X, 13. XLIV, 12. Hîc intelligitur robur generationis, ob generandi vim, qvam in ipſo primùm exeruerat.

ראשית אוני *Principtum vigoris mei.*] Loqvitur de virtute generationi propriâ, non de fortitudine qvæ in florenti ætate præcipuè eluceſcit. Optimè Arabica verſio, Lugd: Batavor: impreſſa, qvæ præ aliis omnibus & tenaciſſima eſt textus Ebræi, & ad ejusdem ſenſum proximè accedit.

Rectè itidem Syrus: ἀρχὴ τῆς ἰσχύος, (add:) μȣ. *Hiſpan: Ferr:* principio de mi fortaleza. & Vernac: **Min førſte Mact.** *Helleniſtæ*, ad ſenſum, non malè, ἀρχὴ τέκνων μȣ. qvod Ambroſius, qvi eos plerumq; latinè vertit, *initium filiorum meorum.* Hieronymus in Tradit: *Capitulum in liberis meis.* Onkelos ריש תוקפי *principium roboris mei.* Ita uſurpatur Ebr: און. Devt: XXI, 17. Pſal: LXXVIII, 51. CV, 36. Idem evincit vox præcedens כח, & univerſus commatis contextus, elogia primogenito propria continentis. Malè itaq; & Paraphr: Jeruſolymitana שֵׁירוּי צַעֲרִי principium afflictionis meæ. Et *Aqvila*: κεφάλαιον λύπης μȣ. Et *Symmach:* ἀρχὴ ὀδύνης. Et vetus Lat: *Principium doloris mei.* Obſcurè & incerto ſenſu Paraphraſis qvæ Uzielidi tribuitur; *Principium eventus cogitationis meæ.* Qvi principium doloris explicant, de mœrore accepto ob inceſtum à Rubene commiſſum, in hiſtoriam impingunt. Præceſſit enim & vis Dinæ illata, & filiorum Jacobi in Sichemitas crudelitas. Rachel jure filium ſuum poterat vocare filium doloris, cùm mortem ei partus adferret. Qvi ראשית vertunt κεφάλαιον & *capitulum*, ejus

primitivum ראש *caput* reſpiciunt, ſed ad genuinam vocis ſignificationem non ſatis prope accedunt. Tempus enim reſpicit hæc vox, ejusq; initium ſignificat. Nec Maimonidæ diſtinctio locum habet, qvi תחלה exiſtimat de tempore ſaltem uſurpari. ראשית verò non ſolùm de initio temporis, ſed etiam de rei ſev ſubſtantiæ principio.

יתר שאת ויתר עז *Excellentia dignitatis & excellentia roboris.*] excellens dignitate & robore. Abſtractum pro concreto. Exponit dignitates ipſi tanqvam primogenito debitas. שאת à rad: נשא ſignificat exaltationem, dignitatem. Hîc ſignificat dignitatem Sacerdotalem, cujus erat hoſtias ad Deum levare, qvæq; ex primogeniture prærogativis una erat. עז ſignificat robur principatûs ſev imperii in fratres; ad quod meliùs gerendum, cedebat primogenito duplex hæreditatis portio. cujus mentio inprimis fit Devter: XXI, 17. Etiam hic à textu primitivo procul diſcedunt Interpretes. Helleniſtæ: σκληρὸς φέρεσθαι καὶ σκληρὸς αὐθάδης. *durus ad ferendum, & durus pervicax.* pro qvo Ambroſius non ſatis aptè, *durus portari, durus & temerarius.* & Hieronymus Græca vertens: *Durus ad ferendum, & durus procacitate.* Senſum voluerunt reddere. Sed receſſerunt tum à verborum proprietate, tum à textus cohærentia. uti & Hieron: in Tradit: *major ad portandum, & major robore.* Propiùs Vulgat: qvamvis à verbis etiam receſſerit. *Prior in donis; major in imperio.* Rectè *Aqvila*: περισσὸς ἄρσει καὶ περισσὸς κράτει. Symmachi interpretatio, cùm imperfecta ſit, dijudicari ex fragmentis non poteſt. habet enim: περισσὰ λαβεῖν καὶ ἐκ περισσοῦ. Comm: 4. פחז כמים inſtabilitas (tibi) ſimilis aqvis. non de celeritate pœnæ loqvitur vates: ſed de vitio qvod prævidet futurum penes hanc tribum in poſterum. Interpretes de culpa Rubenis explicant. Hellen: ἐξύβρισας ὡς ὕδωρ. absq; interpunctione poſt primam Vocem. Qvod Nobilius ſic: *feciſti contumeliam, ſicut aqva.* Et *Ambroſius*: *affeciſti me contumelia.* Et Hieronym: ex Græcis: *Injuria.* qvam vocem editio Hieron: malè conjunctam habet cum, *procacitate.* Ubi vox

פחז

פחז nec recte eſt translata, nec recte à proximè ſeqventi ſeparata. Sed recte eam conjungunt reliqvi Interpretes. *Aqvila*: Ἐθάμβωσας... *turbaſti*. *Symm*: ὑπερζέσας... *efferbuiſti*. Syrus, ἐπλανήθης... *Vagatus es*. Vulg: & Hier: in Tradit: *Effuſus es ſicut aqva*. Hæ verſiones recedunt à genuino vocis ſenſu, qvæ ubiq; levitatem, inſtabilitatem ſignificat. Jud: IX, 4. Sophon: III, 4. Jerem: XXIII, 32.

אל תותר *Ne excellas*] i.e. Non excelles. Vates enim pœnam prædicit, qvæ filium juſto Dei judicio maneret, omniaq; primogenituræ jura ipſi adempta oſtendit. Reſpicit namq; vox תותר τὸ יתר præc: commate poſitum & geminatum. q. d. Nihil habebis præ fratribus tuis peculiare, neq; Sacerdotium, neq; Principatum, neq; duplicem hæreditatis portionem. Paraphraſis Jeruſolymitana: *Vide, tuum erat, accipere tres partes*, i. e. prærogativas, *præ fratribus tuis, Primogenituram*, i.e. duplicem ſortem, *ſacerdotium & regnum. Verùm, qvia peccâſti, Ruben mi fili, data eſt primogenitura Joſepho, regnum Jehudæ, & Sacerdotium magnum tribui Levi.* Totidem ferè verbis reliqvæ duæ Paraphraſes idem dicunt. De imperio in fratres, translato ad Judam; & duplici ſorte, ad Joſephum, legimus I. Paralip: V, 1, 2. De munere verò Sacerdotali conſtat, Primogenitos, ante Tabernaculum & Aharonis Sacerdotium ſeu Legem Leviticam, illud in familiis ſuis exercuiſſe. Misna tit: *Zebachim* ſeu *de Sacrificiis* cap: XIV. *Ante conſtructum Tabernaculum licitus erat excelſorum uſus: atq; ſacro ad ea fungebantur munere Primogeniti.* Similiter *Bereſith Rabba* fol: LXXI. ad qvæſtionem cur Jacobus Patriarcha Primogenituræ jus cuperet? addens prætereà: *Extructo verò Tabernaculo excelſa illicita erant, & functio ſacra ad Sacerdotes ſpectabat*, id eſt, non ampliùs primogenitis permittebatur. Hinc eſt qvòd Rabbini vocem נערי *juvenes*, qvæ legitur Exod: XXIV, 5. ſumant pro בכורי *Primogeniti*, utpote qvibus tunc, anteqvam Sacerdotes Aharonici inſtituerentur, cultus Divinus erat permiſſus. Et *Onkelos* eundem locum *miſit juvenes*, interpretatur *miſit primogenitos*. Similiter verſio Ara-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 00864 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 864

Arabica R. Saadiæ, & Perſica Tawaſii, notante Cl. Seldeno. Paraphraſis qvæ Uzielidi tribuitur, addit ſimul rationem; nempe, *qvia necdum Aharonici Sacerdotes erant inſtituti.* Pro, *Non excelles,* Helleniſtæ habent: *μὴ ἐκζέσῃς.* qvod Ambroſ: vertit, *non efferveas.* Hieron: *non ebullias.* Theodoretus explicat, *μὴ θερμανθείης εἰς πολυγονίαν, non caleſias ad multos procreandos.* Qvod tamen à genuina vocis ſignificatione multùm diſcedit. Dubio ſenſu *Syrus, μὴ παραμείνῃς.* qvod Scholiaſtes explicat, *μὴ ζήσῃς. ne permaneas,* pro, *ne vivas.* Uti & Vulg: *Non creſcas.* & Hieron: in Tradit: *Ne adjicias.* Optimè Arab: *Non excelles.* Rectè Aqvila: *μὴ περισσεύσῃς.* & Symm: *οὐκ ἔσῃ περισσότερος.* & Hiſp: *No ſeras aventajado.* & Vernac: **Du ſkalt icke være ypperlig.**

Qvia aſcendiſti cubile Patris tui.] Græca Ambroſ: *Aſcendiſti enim in cubile Patris.* & Hieron: *ſuper lectulum:* ipſe poſteà ex Ebræo vertens: *Aſcendiſti enim cubile Patris tui.* ferè qvemadmodum Vetus Latina. Rabbini qvidam hæc verba xplicant de turbatione lecti Bilhæ per Rubenem factâ, dicuntq; ipſum, irâ commotum ob matris ſuæ contemptum, magno cum furore Bilhæ tentorium eſſe ingreſſum, ejusq; lectum ibidem turbaſſe ac deſtruxiſſe. Sed videtur, figmentum eſſe hoc nonnullorum Rubenitarum, ægrè ferentium Patrem ſuum ſceleri tam abominando fuiſſe obnoxium. Verba enim Vatis ita perſpicua ſunt, ut admittere alium ſenſum nullo modo poſſint. Qvomodo hoc in loco ſit intelligendum plurale משכבי declarat Patriarcha voce יצועי pavlò pòſt ſeqvente.

Tunc prophanaſti: Stratum meum aſcendit.] Græca vertit Ambroſ: *Tunc polluiſti thorum, qvo aſcendiſti.* Hieronym: *& tunc violaſti ſtratum meum cùm aſcendiſti.* ipſe in Tradit: ex Ebræo: *& contaminaſti ſtratum* (excluſo pronomine) *in aſcenſu.* In eo conveniunt, qvòd inter vocem חללת & proximè ſeqventem, nullam ponant ſectionem. Cùm tamen Accentus Diſtinctivus Tiphcha eidem appoſitus ſeparationem ſenſûs omninò efflagitet. Hinc nata alia hallucinatio in verſione vocis עלה, qvam ut cum antecedentibus turbatè

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 00864 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 864

batè conſtructis poſſent conjungere, pro infinitivo ſumpſerunt, contra omnem analogiam. Vetus Lat: plures hîc errores committit. Nam & conſtructionem pervertit, & pronomen primæ perſonæ mutat in tertiæ, & vocem עלה, cùm ſola ſenſum non poſſet conficere, in ſuâ verſione, ut ſuperfluam omittit. Vox חללת cùm hîc caſu deſtituatur accuſativo, verti poteſt ſignificatione intranſitivâ: *prophanus fuiſti.* eodem planè ſenſu, qvo ad Ebr: XII, 16. Eſav dicitur βέβηλος, *prophanus*, ὃς ἀντὶ βρώσεως μιᾶς ἀπέδοτο τὰ πρωτοτόκια αὐτοῦ. Ita enim Ruben cum turpi voluptate jus ſuæ primogenituræ commutavit. Vocem עלה *aſcendit*, qvidam explicant, *evanuit, diſſipatus fuit. fumi inſtar, ex camino aſcendentis, periit*: referuntq; vel ad Rubenis primogenituram, qvaſi illa jam dicatur evanuiſſe: vel ad Jacobi thorum, qvaſi ejus dignitas perierit. Sed eodem ſenſu intelligenda eſt vox עלה hîc qvo ſuprà, conjuncta cum משכבי. Præterea poſteriori interpretationi repugnat accentus. Itaqve hæc verba per Apoſtrophen ad reliqvos filios ſunt à Vate prolata. Figmentum Rabbinorum, qvo minuere culpam Rubenis conantur, manifeſtè refutat ejusdem Teſtamentum, qvod primum eſt ex duodecim Patriarcharum teſtamentis, qvæ vulgò circumferuntur, ex Græco in Latinum converſa à *Roberto Capitone* (qvi à nonnullis Græcâ voce dicitur, *megacephalos*, à Danico interprete corruptè Groſſeteſtus, ex Gallico groſſe teſte) Epiſcopo Lincolnienſi, circa an: M CC XLII. qvi ejusdem Græcum exemplar in Occidentales regiones adferri curavit, referente *Matthæo Paris* in hiſtoria Henrici III. Editus eſt liber, tit: *Duodecim Patriarcharum, Jacobi filiorum, Teſtamenta, in Micropresbytico, & Tom: 5. Biblioth: Patrum.* De Rubene Moſes Devter: XXXIII, 6. Vivat Ruben, & non moriatur: & ſint homines ejus numerus, i. e. pavci, ſev qvi propter pavcitatem numerari facilè poſſunt. Hoc etiam voluit *Theodoretus*, Græcum μὴ ἐκζέσῃς explicans, μὴ θερμανθείης εἰς πολυγονίαν, nempe talem qvæ comitari primogenitum ſolebat à Deo benedictum. Planè

alio

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 00864 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 864

alio ſenſu hanc phraſin hîc verterunt Helleniſtæ, qvàm aliis in locis, ubi idem loqvendi modus occurrit. Hîc enim: Ζήτω Ῥουβὴν καὶ μὴ ἀποθανέτω, καὶ ἔστω πολὺς ἐν ἀριθμῷ. Ex his Ambroſ: *Sit multus in numero.* Sed Devter: IV, 27. ὀλίγοι ἀριθμῷ, & Geneſ: XXXIV, 30. ὀλιγοστὸς ἐν ἀριθμῷ. Qvem locum Onkelos: *Et ego populus numeri*, vel populus qui numerari poteſt. Iſai: X, 19. numerus erunt, *Kimchi* מעטים *pavci*, rectè interpretatur. Eſt enim pavcitatis periphraſis. Poëta: Pavperis eſt numerare pecus. Ita eandem phraſin contrario ſenſu explicarunt. Vatis mentem non intellexit *Diodorus Tarſenſis*, dum dicit: Ἐπειδὴ Ἰακὼβ ἀποθνήσκων κατηράσατο τὸν Ῥουβὴν, λέγων, ὡς ὕδωρ μὴ ἐκζέσῃς, ἢ ζήσῃς, ὁ Μωυσῆς εὐλογῶν φησι, ζήτω Ῥουβὴν, καὶ μὴ ἀποθανέτω. Neq; *Theodoretus* rectè: πρῶτον εὐλογεῖ τὸν Ῥουβὴν, καὶ λύει τὴν πατρῴαν ἀρὰν, ἀντιτάξας τὴν φιλαδελφίαν τῇ περὶ τὸν πατέρα παρανομίᾳ. ἐξῆν δὲ ὡς νομοθέτῃ τὴν ἀρὰν μεταθεῖναι, ζήτω Ῥουβὴν καὶ μὴ ἀποθανέτω καὶ ἔστω πολὺς ἐν ἀριθμῷ.

שִׁמְעוֹן וְלֵוִי אַחִים כְּלֵי חָמָס מְכֵרֹתֵיהֶם׃

בְּסֹדָם אַל־תָּבֹא נַפְשִׁי בִּקְהָלָם אַל־תֵּחַד כְּבֹדִי כִּי
בְאַפָּם הָרְגוּ אִישׁ וּבִרְצֹנָם עִקְּרוּ־שׁוֹר׃

אָרוּר אַפָּם כִּי עָז וְעֶבְרָתָם כִּי קָשָׁתָה אֲחַלְּקֵם
בְּיַעֲקֹב וַאֲפִיצֵם בְּיִשְׂרָאֵל׃

Συμεὼν καὶ Λευὶ ἀδελφοὶ, συνετέλεσαν ἀδικίαν ἐξαιρέσεως αὐτῶν. Εἰς βουλὴν αὐτῶν μὴ ἔλθοι ἡ ψυχή μου, καὶ ἐπὶ τῇ συστάσει αὐτῶν μὴ ἐρείσαι τὰ ἧπατά μου. ὅτι ἐν τῷ θυμῷ αὐτῶν ἀπέκτειναν ἀνθρώπους, καὶ ἐν τῇ ἐπιθυμίᾳ αὐτῶν ἐνευροκόπησαν ταῦρον. Ἐπικατάρατος ὁ θυμὸς αὐτῶν ὅτι αὐθάδης, καὶ ἡ μῆνις αὐτῶν ὅτι ἐσκληρύνθη. Διαμεριῶ αὐτοὺς ἐν Ἰακὼβ, καὶ διασπερῶ αὐτοὺς ἐν Ἰσραήλ. Symeon & Levi fratres: vaſa iniqvitatis bellantia. In conſilium eorum non veniat anima mea, & in cetu illorum non

fit

ſit gloria mea: qvia in furore ſuo occiderunt virum, & in voluntate ſua ſuffoderunt murum. Maledictus furor eorum; qvia pertinax: & indignatio eorum, qvia dura. Dividam eos in Jacob, & diſpergam eos in Iſrael.

Conjungit Vates duos filios Simeonem & Levi, eosq́; vocat fratres, qvòd in malo perpetrando fratres eſſent & unanimes. dicit: כלי חמס מכרתיהם inſtrumenta violentiæ, conventiones eorum. *Helleniſtæ*: συνετέλεσαν ἀδικίαν ἐξαιρέσεως αὐτῶν. Qvæ *Hieron*: ex Græco: Conſummaverunt iniqvitatem adinventionis ſuæ. & *Interpr*: *Origen*: Voluntatis ſuæ. *Chryſoſt*: (notante *Nobilio*) videtur legiſſe: ἐξ αἱρέσεως αὐτῶν, ex electione ſua. In qvo, à ſenſu verborum nimium diſcedunt. *Lud*: *Capellus* exiſtimat pro כלי vaſa, inſtrumenta, ipſos legiſſe כלו, perfecerunt. Verùm dubium non eſt, qvin illorum codex cum noſtro conſenſerit: ſed, ut ſolent, ſenſum magis qvàm verba attenderunt. Etenim *Vet*: *Latin*: & *Hieron*: in Tradit: כלי retentâ primâ propriâq́; ſignificatione, vertunt *vaſa*. Deinde, Iſai: LXVI, 23. ubi Ebr: habet בכלי טהור (eandem nempe vocem, qvam nos hoc in loco) *in vaſe mundo*, illi vertunt μετὰ ψαλμῶν. Sic Num: IV, 16. בכליו, Illi, ἐν τοῖς ἔργοις αὐτοῦ; Alibi hanc vocem vertunt, σκεῦος, διασκευή, κατασκευή, ἀγγεῖον, ἄγγος, κάδιον, ὄργανον, θυΐσκη, ὅπλον, πέλεκυς, πέλυξ, κηλὸς, ἐπιστολή. Præterea מכרת nusqvam ſignificat ἐξαίρεσιν. Illi tamen cùm viderent vocem ſignificare negotiationes, conventiones, ſcirentq́; , qvod duo pluresvé agendum ſtatuunt, id in animo jam ante deliberatum eſſe, verterunt, *propoſitum*. Intelligi etiam verſio de hoc facto ſpecialiter poteſt: qvòd hi duo ſumere de Sichemitis vindictam volentes, ſimulaverint ſe velle cum ipſis pacem & affinitatem inire, ſi circumcidi ſe paterentur. Qvamvis autem Sichemitæ propoſitas fœderis paces amplecterentur, hi tamen averti ab ulciſcendi propoſito noluerunt; ſed circumciſos, tempore, qvo, præ dolore, viribus omnibus planè deſtituerentur, crudeliſſimè necaverunt. Itaqve ex

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 00864 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 864

hâc ipſorum verſione lectio diverſa nec adſtrui poteſt, nec alia labefactari. Idem *Capellus* pag: 328 Criticæ Sacræ, exiſtimat pro מכרתיהם olim fuiſſe מגורתיהם, eò qvòd Targum vertat *in terra* תותבותהון *habitationis ſuæ*. Sed neq; hinc ulla in Ebræi Codicis exemplaribus discrepantia poteſt evinci. Nam Ezech: XVI, 3. מכרתיך *Rabb: Kimchi, Salomoni, Nachmanidæ*, idem eſt qvod מגורתיך. Et Chaldæus interpretatur תותבתכון *habitatio veſtra*. Item Ezech: XXIX, 14. מכורתם *Chaldæus* reddit תותבותהון Et Rabbini explicant per מגורתם. Sic Ezech: XXI, 30. מכרתיך *Chaldæus* etiam vertit תותבותכון. ut obſervavit *Cl. Buxtorfius*. Exiſtimant præterea nonnulli ellipſin eſſe præfixi ב *in*, atq; vertendum, *in habitationibus*. Sed nec ellipſis eſt neceſſaria; nec ipſa vocis interpretatio, propter qvam ellipſis ab ipſis ſtatuitur, hîc commodè poteſt admitti. Nec rectè vertit *Vet: Lat*: vaſa iniqvitatis bellantia. avt *Hieron*: in Tradit: Vaſa iniqvitatis, arma eorum. nec *Hiſpan*: inſtrumentos de tortura, ſus armas. Convenit illa verſio cum eorum ſententiâ, qvi à Græco *μάχαιρα* vocem hanc derivant. Ita enim *R. Salomo*, qvi vertens, *arma*, addit, gladium lingvâ Græcâ ſic appellari. Inde in Pirke *R. Elieſer*, cap: 38, de Jacobo ſcribitur, qvòd gladiis ipſorum maledixerit lingvâ Græcâ. Ex eadem origine videtur hanc vocem deduxiſſe *Cl. Caſavbonus*. Verùm, ſi qvaliscunq; literarum ſimilitudo in diverſis lingvis argumentum genuinæ derivationis præberet, inepta prodiret & ridicula multarum vocum Etymologia, ſatis evidenter aliàs ex ſuæ lingvæ primitivis deducta. Præterea repugnat huic explicationi, tum præcedens אחים, tum ſeqventia, סדם, קהלם. Itaq; rectiùs, ab Ebr: מכר *vendidit*, derivatur מכרה, *negotiatio*, *conventio*. *Onkelos*: *Viri fortes in terra peregrinationis ſuæ fecerunt fortitudinem*. Sed ſcopo & menti Vatis directè adverſatur hæc Paraphraſis; & rem laudat, qvam Vates ſummoperè deteſtatur. *Hieronymus* dum חמס vertit *iniquitas*, proprietatem vocis non ſatis exprimit; cùm *vim, violentiam, rapinam* ſignificet.

בסרם

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 00864 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 864

בסדם אל תבא וגו׳. *In conſilium eorum ne venias anima mea; & in cœtu illorum ne uniaris gloria mea,*] *Hieronym:* in Tradit: *In arcanum eorum ne intret anima mea; & in conventu illorum ne diſſolvatur gloria mea.* סוד vertit *arcanum*, non incommodè. Eadem enim vox, qvæ Ebræis ſignificat *arcanum*, etiam ſignificat *conſilium*, qvòd arcanum ſit, nec niſi ex facto cognoſcatur. Qvòd verò תבא vertat in 3 perſonâ, *veniat;* in eo cum reliqvis interpretibus convenit. Nos in ſecundâ vertimus, cùm ſtatim ſeqvatur כבדי qvod, utpote gen: maſculini, non poteſt analogicè regi à תחד, niſi pro ſecundâ Futuri perſonâ habeatur. Ejusdem τὸ, *diſſolvatur*, nimis eſt alienum. Pro, μὴ ἐρίσαι τὰ ἥπατά μȣ. *Ambroſius* habet; non contendant viſcera mea. & *Hieron:* ex Græco; non æmuletur jecur meum. Alii legunt: μὴ ἐρείσαι. & *Tertullianus*: non incubuerint viſcera mea. *Interpr: Origen:* non innitantur viſcera mea. Etiam hîc ſenſum reſpexerunt *Helleniſtæ*. Videntes enim Vatem ubiq; in hoc vaticinio uti ἐπιμονῇ, atq; diverſis verbis idem enunciare, ſingulas prioris membri voces cum poſterioris membri ſingulis contulerunt. Qvemadmodum etiam *Aben Ezra*, qvi exiſtimat בסדם idem ſignificare, qvod אל תבא, בקהלם idem qvod נפשי, אל תחד idem qvod כבדי. Itaqve כבודי verterunt, ac ſi eſſet כבדי. Viciſſim Thren: II, 11. conſtipata ſunt oſſa mea: effuſum eſt in terra כָּבֵדִי *jecur meum*: verterunt ἐταράχθη ἡ καρδία μȣ, ἐξεχύθη εἰς τὴν γῆν ἡ δόξα μȣ, conturbatum eſt cor meum: effuſa eſt in terram gloria mea. Præteréà, *Chaldæi Paraphraſtæ* etiam hîc habent יקרי gloria mea. *Vet: Lat:* תחד vertit voce latæ ſignificationis, *non ſit*. *Arab*: ne inveniatur. *Hiſpan:* no ſe aune. *Onkelos*: in ſecretis eorum non fuit anima mea. qvaſi Vates ſe excuſaret, dicens, perpetratum eſſe hoc ſcelus ſe inſcio. Ebræa tamen ſummam facti deteſtationem oſtendunt. Reliqvi *Paraphr:* in conſilio eorum non delectatur anima mea.

 qvaſi

qvaſi conſilia ipſorum nudè averſaretur. *Aben Ezra* בסדם explicat per בהוסדם, cùm congregati fuerint. Sed קהלם, qvæ vox huic eſt parallela, illam interpretationem non tam commodè admittit. Vocem כבוד qvidam explicant, *lingva*, atq; hoc ſenſu accipiunt Pſalm: XVI, 9. & XXX, 13. Sed illa ſignificatio huic loco non convenit. Paraphr. Jeruſolym. Cùm congregarentur contra civitatem Sichem, ad depopulandum eam, non pepercerunt gloriæ meæ. Per gloriam intelligit bonam famam, nominis exiſtimationem. q. d. exiſtimationis meæ conſideratio, & metus eandem maculandi, avertere ipſos ab hoc ſcelere non potuit. *Onkelos*: Non deſcendi de gloria mea. eodem ſenſu, qvo priùs dixerat; animam ſuam in eorum ſecretis non fuiſſe.

כי באפם וגו' *Qvia in ira ſua occiderunt virum, & in voluntate ſua exſtirparunt bovem*]. *Helleniſtæ* pro איש *virum*, habent, ἀνθρώπους, ſenſum ſecuti. Rectè *Arab.* אנשאנא, & Hiſp: *varon*. Variè ab interpretibus vertitur hoc membrum; aliis utramq; ejus partem de Sichemitarum cæde: aliis totum; aliis poſtremam ejus partem explicantibus de conatu tollendi è medio Joſephum. Qvi primam ſententiam tuentur, ultima verba vertunt: *eradicaverunt*, ſev, *deſtruxerunt murum*. qvod Scholiaſtæ dicitur: ἐξεῤῥίζωσαν τεῖχος, ſumptâ ab arboribus translatione. volunt dicere: Subverterunt, funditus everterunt murum. Fundamenta enim ſunt in muris, qvod radices in arboribus. Sic *Onkelos*: in furore ſuo occiderunt occiſionem, i. e. horrendum homicidium commiſerunt, & in voluntate murum inimici deſtruxerunt. Altera *Paraphraſ*: & *Hieron*: in Tradit: Et in libidine ſua ſuffoderunt murum. *Hiſpan:* arrancaron muro. *Aben Ezra* & *R. Nathan* etiam per *murum* explicant. Et vocem eo ſenſu Chaldæi interdum uſurpant. Sed confundunt שׂור per Cholem, cum שׁוּר per Schurec. Illud enim bovem: hoc verò murum ſignificat. Neq; Scriptura dicit muro cinctam fuiſſe civitatem, aut vi expugnatam; ſed illam, die poſt circumciſionem tertio, ægrotan-

grotantibus Sichemitis, ingreſſos eſſe fratres avdacter, ſtragemq; edidiſſe. Qvi in alia ſententia ſunt, & vel ad Sichem, vel ad Joſephum vocem referunt, hi interpretantur ultima verba ſic: Eradicaverunt bovem. *Arab*: vocem Ebræam retinet. *Paraphaſis Jeruſolym*: Vendiderunt Joſephum fratrem ipſorum, qvi aſſimilatur bovi. *R. Salom*: voluerunt eradicare Joſephum, qvi appellatur bos. *Ambroſ*: & *Hieronym*: Græca vertentes: ſubnervaverunt tavrum. Sed de Joſepho explicari hæc verba non poſſunt, cùm Vates hîc vocem עקרו uſurpet, qvæ de שור idem dicit, qvod præc: membro הרגו de איש. Itaq; cùm hoc cædem, homicidium ſignificet, illud ſimili qvoq; ſenſu eſt intelligendum. Joſeph avtem in vivis erat; imò, cùm hæc dicerentur, præſens juxta cum reliqvis fratribus erat. Deinde, ſi vel maximè ponatur, τὸ עקרו intelligendum eſſe de animo Joſephum occidendi, qvemadmodum volunt hujus ſententiæ propugnatores, tamen probari ex Scriptura non poteſt, hoſce duos fratres, excluſis reliqvis, iſtius ſceleris fuiſſe avthores. Etenim malè in hunc ſenſum allegatur comma 19, cap: XXXVII, Et dixit vir fratri ſuo; qvaſi ſenſus eſſet; & dixit Simeon fratri Levi: cùm juxta ſenſum ſit: *Et dixit alter alteri*; atqve ſignificetur mutuum fratrum inter ſe colloqvium, & ultro citroq; habiti de Joſepho ſermones. qvod oſtendit capitis illius inde usq; ad finem contextus. Neq; poteſt hîc ullus haberi reſpectus ad Joſephi beneficium, qvaſi bos diceretur, ob ſuſtentatam, durante annonæ caritate, Paternam familiam, & diſpenſatum, per Ægyptum, commeatum; eò qvòd Prov: XIV, 4. dicatur: *multitudo proventuum in potentia bovis*. Alieniſſima enim eſt ab illius loci ſenſu talis interpretatio. Neq; huc qvicqvam facit locus Devt: XXXIII, 17. ubi Joſephi pulchritudo dicitur eſſe tanqvam primogenitus tavri, & cornua ejus tanqvam cornua monocerotis. Cùm enim ne minima qvidem ejus mentio in hoc vaticinio vel antecedat, vel ſeqvatur; non poteſt veriùs de ipſo hic locus explica-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 00864 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 864

plicari, qvàm reliqvi Sacræ Scripturæ omnes, in qvibus eadem vox invenitur. Si verò præſupponit hæc ſententia, cædis avthores, vel, ad minimum ſvaſores fuiſſe hos fratres, id præſupponit, qvod Scriptura non dicit. שור ſignificat bovem; non tamen hîc intellectum de pecoribus; ut volunt, qvi de abactis Sichemitarum pecoribus hunc locum interpretantur. Obſtat enim Sacra Hiſtoria, Gen: XXXIV, 27, qvæ dicit, poſt Simeonis & Levi abitum, ingreſſos eſſe fratres civitatem, eamq; diripuiſſe. Itaq; reliqvi fratres fecerunt, qvod illi exiſtimant Jacobum de Simeone & Levi dicere. Sed de Principe civitatis Sichem dicitur, eodem ſenſu, qvo populi vocantur vituli, & Principes, אבירים, qvod propriè ſignificat, robuſti; *Helleniſtæ* vertunt ταῦροι. Pſalm: XXII, 13. Circumdederunt me vituli multi: robuſti Baſan cinxerunt me. Hellen: περιεκύκλωσάν με μόσχοι πολλοὶ, ταῦροι πίονες (Aq. λιπαροί) περιέσχον με. Qvod hi vertunt ταῦροι, alii: δυνάσται Βασὰν διεδειγμάτισαντό με. Potentes Baſan traduxerunt me. Pſalm: LXVIII, 31. Increpa feram arundinis, cœtum robuſtorum cum vitulis populorum. Helleniſtæ planè contra Pſaltis ſenſum. Ἐπιτίμησον τοῖς θηρίοις τοῦ καλάμου. ἡ συναγωγὴ τῶν ταύρων ἐν ταῖς δαμάλεσι τῶν λαῶν. Symm: aliqvanto meliùs: συνόδῳ παμμεγεθῶν μετὰ συστροφῶν λαῶν, conventu prægrandium cum conſpirationibus populorum. Qvod illi, ταύρων. ipſe ſenſum ſecutus, παμμεγεθῶν, & τὸ אבירים ſumens ſignificatione primâ, *robuſti, potentes*. Rectè *R. Jacob fil. Eleaz.* eradicaverunt bovem, i. e. dominatorem; qvi bos vocatur, ut alibi Principes magni vocantur arietes.

ארור אפם וגו׳ Maledicta ira eorum; qvia vehemens: & excandeſcentia eorum, qvia ſæva] עז robuſtus, fortis, cùm hoc in loco ad animum transferatur & de vitio dicatur, verti poteſt *vehemens*. Copulativa ו repetens τὸ ארור, intelligitur, וארורה עברתם. Vox עברתה à rad. עבר tranſiit, Prætergreſſus eſt, ſignificat iram qvæ terminos modumque

que tranſgreditur. קשה in rebus ſignificat durum, diffi-cile: translatum ad animum & de vitio prædicatum, verti poteſt, ſævus, crudelis. In primo membro repetit Vates e-andem vocem אף, quam præc. commate primo loco poſue-rat. qvia hoc in loco vitium ſignificat. Alioqvi eadem vox Vultum, Faciem, Naſum, ſignificat. In duali אפים Na-res, Ira. Seqvente verò membro non repetit vocem רצון qvam poſtremâ ſuperioris commatis parte habuerat, qvòd Vox illa *bonam*, etiam indifferentem voluntatem ſignificet. Sic Pſalm. CXLV, 19 dicitur de Deo: רצון יראיו voluntatem timentium ſe faciet. Minus rectè *Hieron.* in Tradit. Maledi-ctus furor eorum, qvia procax: & ira eorum, qvia dura. אף enim minus eſt qvàm עברתם. Furor contrà, majus qvàm ira, aut, indignatio. Neq; græcum ἐπιθυμίαν, qvod *Ambroſ.* cupiditas: *Hieronym.* deſiderium: in Tradit: *libido*, vocem Ebræam exprimit. θέλημα potiùs dicendum; ut rectè *Vulg.* voluntas. Neq; *durus*, aut voces, qvæ de rebus primariò dicuntur, ad animi vitia atq; affectus exprimendos, niſi de-ficientibus emphaticis atq; magis propriis, debent adhiberi.

אחלקם וגו' Dividam eos in Jacob, & diſpergam eos in Iſrael] Per ἐπιμονὴν Vates harum tribuum diviſionem à ſe in-vicem & diſperſionem inter Iſraëlitas deſcribit. Qvod po-ſteà, cùm terra promiſſa inter filios omnes diſtribueretur, com-pletum eſt. Nam tribui Simeonis non fuit data poſſeſſio di-ſtincta & propria, qvemadmodum aliis tribubus; ſed pri-mò, intra Judæ ditionem, eidem permixta, urbes aliquot obtinuit. Joſu. XIX, 1. 9. Poſteà, cùm avctiores facti eſ-ſent numero, nonnulli eorum in regione Gedor, interfectis omnibus incolis, ſedes fixerunt. I Paralip. IV, 41. Non-nulli in montanis Seir, trucidatis qvæ regionem incolebant Amalekitarum reliqviis, ſedes eligebant, comm. 42, 43. Exiſtimant nonnulli hanc tribum, tanqvam contemptam, non eſſe à Moſe Deut. XXXIII, unà cum reliqvis bene-dictam. Atqvi Levi, ejusdem cum hac tribu maledictionis particeps, præ multis aliis eſt benedicta. *Hieronymus* exiſti-

mat,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 00864 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 864

mat, idcirco non eſſe à Moſe hanc tribum, benedictam, qvod videret ex ea proditurum Judam Iſcariotem, Chriſti proditorem. Certè, ſi hoc conſtaret, non negarem hâc de causâ inter omnes tribus, nomen Simeonis ſolum omitti. *Apollinaris* (notante Scholiaſte·): τὰ ἀκριβῆ ἀντίγραφα οὐκ ἔχει μνήμην τοῦ Συμεών. Accurata exemplaria nullam faciunt Simeonis mentionem. *Theodoretus*, redditâ ratione cur benedictus ſit Ruben, benedictus itidem Levi, ſubjungit: ὁ δὲ Συμεὼν οὐδεμίαν ἔχει πρόφασιν, ὥστε τῆς εὐλογίας τυχεῖν. Fortè Moſes ſub Juda comprehendit Simeonem, qvòd regionis ejus partem, non ſecùs ac genuina ejusdem tribûs pars, contineret. Tribus Levi ex mandato Deì, Numer: XXXV, 1. ſeqq: certas in qvalibet tribu accepit civitates; qvarum fit mentio, Joſu: XXI. 1. Chron: VI. Patres *Tertullianus*, *Origenes*, *Hieronymus*, *Ambroſius*, *Rupertus Abbas*, exiſtimant inter cædem Simeonis & Levi in Sichemitas commiſſam, & Servatoris noſtri mortem, intercedere omnimodam analogiam; ita ut mors Sichem typus ſit mortis Chriſti: bos exſtirpatus, ſev, ut Ambroſius ex Græco vertit, enervatus, figura ſit Servatoris: Diſperſio tribuum Simeonis & Levi, typus diſperſionis Judæorum per univerſum terrarum orbem: Simeon & Levi, Scribas ſignificent & Sacerdotes. Eqvidem inter homicidii Sichemitarum avthores, & inter eos qvi Servatorem noſtrum è medio ſuſtulerunt, qvædam intercedit ſimilitudo. Antiqvi enim exiſtimarunt Principes Sacerdotum & Scribas, qvos Servator, Matth: XX, 18, 19. mortis ſuæ authores fore prædicit, fuiſſe Simeonis & Levi poſteros. Idq; ex Rabbinis videntur collegiſſe. *R. Salomo*: Non ſunt tibi pavperes Scribæ & Pædagogi, niſi ex Simeone, ut eſſent diſperſi. *Paraphr: Jeruſolym*: refert Jacobum dixiſſe: Dividam tribum Simeonis, ut ſint Scribæ & Doctores Legis in congregatione Jacob; & diſtribuam tribum Levi, ut præſint concionibus filiorum Iſraël. Itaq; qvemadmodum Sacerdotes, qvorum mentionem facit Servator, erant ex tribu Levi: Ita videntur

Scribæ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 00864 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 864

Scribæ ex Simeonis tribu fuiſſe. *Ambroſius* dicit, Simeonem & Levi fuiſſe Scribarum & Sacerdotum avtores. Et: Qvia prævidit Jacob flagitium, perhorreſcit concilii contagium, dicens: In concilio eorum non veniat anima mea. Hinc tamen inter cædem Sichem & Servatoris mortem ineptè inſtituitur comparatio. Neq; diſperſio harum tribuum à Vate prædicta convenit cum Populi Judaici per univerſum terrarum orbem diſſipatione, contempto ſtatu, & funeſto exilio. Itaq; ex unius avt alterius circumſtantiæ convenientiâ non poteſt concludi totius hiſtoriæ ſimilitudo.

יְהוּדָה אַתָּה יוֹדוּךָ אַחֶיךָ יָדְךָ בְּעֹרֶף אֹיְבֶיךָ יִשְׁתַּחֲווּ
לְךָ בְּנֵי אָבִיךָ׃

גּוּר אַרְיֵה יְהוּדָה מִטֶּרֶף בְּנִי עָלִיתָ כָּרַע רָבַץ כְּאַרְיֵה
וּכְלָבִיא מִי יְקִימֶנּוּ׃

לֹא־יָסוּר שֵׁבֶט מִיהוּדָה וּמְחֹקֵק מִבֵּין רַגְלָיו עַד
כִּי־יָבֹא שִׁילֹה וְלוֹ יִקְּהַת עַמִּים׃

אֹסְרִי לַגֶּפֶן עִירֹה וְלַשֹּׂרֵקָה בְּנִי אֲתֹנוֹ כִּבֵּס בַּיַּיִן לְבֻשׁוֹ
וּבְדַם־עֲנָבִים סוּתֹה׃

חַכְלִילִי עֵינַיִם מִיָּיִן וּלְבֶן־שִׁנַּיִם מֵחָלָב׃

Ἰούδα, σὲ αἰνέσαισαν οἱ ἀδελφοί σου. αἱ χεῖρές σου ἐπὶ νώτου τῶν ἐχθρῶν σου. προσκυνήσουσί σοι οἱ υἱοὶ τοῦ πατρός σου. Σκύμνος λέοντος Ἰούδα. Ἐκ βλαστοῦ υἱέ μου ἀνέβης. ἀναπεσὼν, ἐκοιμήθης ὡς λέων, καὶ ὡς σκύμνος. τίς ἐγερεῖ αὐτόν; Οὐκ ἐκλείψει ἄρχων ἐξ Ἰούδα, καὶ ἡγούμενος ἐκ τῶν μηρῶν αὐτοῦ, ἕως ἐὰν ἔλθῃ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ. καὶ αὐτὸς προσδοκία ἐθνῶν. Δεσμεύων πρὸς ἄμπελον τὸν πῶλον αὐτοῦ, καὶ τῇ ἕλικι τὸν πῶλον τῆς ὄνου αὐτοῦ. πλυνεῖ ἐν οἴνῳ τὴν στολὴν αὐτοῦ,

τοῦ, καὶ ἐν αἵματι σταφυλῆς τὴν περιβολὴν αὐτοῦ. χαροποιοὶ οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτοῦ ὑπὲρ οἶνον, καὶ λευκοὶ οἱ ὀδόντες αὐτοῦ ἢ γάλα.

Juda, te lavdabunt fratres tui. Manus tuæ in cervicibus inimicorum tuorum: adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Juda. Ad prædam fili mi aſcendiſti: reqvieſcens accubuiſti ut leo, & qvaſi leæna, qvis ſuſcitabit eum? Non avferetur ſceptrum de Juda & dux de femore ejus, donec veniat qvi mittendus eſt: & ipſe erit expectatio gentium. Ligans ad vineam pullum ſuum: & ad vitem ô fili mi aſinam ſuam. Lavabit in vino ſtolam ſuam: & in ſangvine uvæ pallium ſuum. Pulchriores ſunt oculi ejus vino: & dentes ejus lacte candidiores.

Comm: 8. יהודה אתה Juda tu] Pronomen *tu*, malè, tanqvam ſuperfluum, omittunt *Helleniſtæ*, *Vulgatus*, *Hieronymus*, *Ambroſius*. Paraphraſta *Onkelos* retinet: Jehudah tu confeſſus es, & non erubuiſti. Retinent etiam alii, & variè explicant. Confeſſionem, qvam innuit Onkelos, explicat alter de negotio cum Thamar, qvòd, cùm ob adulterium eſſet in jus vocata, ille culpæ ſe reum agnoſcens, dixerit: juſtior me eſt, &c. Gen: XXXVIII. Ita enim Paraphraſtes: Juda tu confeſſus es de negotio Thamar: propterea tibi confitebuntur fratres tui, & de nomine tuo vocabuntur Judæi. Alii, de verbis ad fratres, qvi Joſephum volebant è medio tollere: Qvæ eſt utilitas, ſi fratrem noſtrum occiderimus, &c. Gen: XXXVII. Nonnulli de verbis ad Joſephum, cùm dimittere Benjamin unà cum reliqvis fratribus nollet: Qvid dicimus ad Dominum meum? . . . Deus invenit iniqvitatem ſervorum tuorum, &c. Qvidam de Divini Nominis confeſſione, qvòd Deum confiteri non erubuerit. Sunt etiam qvi de futuro intelligunt, q. d. Tu confiteberis, & non confundéris. Hæ interpretationes ſupponunt vocem הודה hîc ſignificare, *confiteri*. qvæ qvidem ſignificatio à ſcopo hujus loci eſt aliena. Hîc enîm ſignificat *lavdare*, *celebrare*. qvo ſenſu uſurpatur Pſal: XLV, 2. & in ipſa nominis ejus impo-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 00864 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 864

impoſitione, Gen: XXIX, 35. ubi mater ipſum vocavit jehuda, qvaſi, celebrationem Domini, dicens: celebrabo hac vice Dominum. Itaq;, cùm nominis impoſitionem & originem reſpiciat Vates, rectiùs exponitur: jehudah tu verè jehudah: tu verè lavs & celebratio, i. e. lavde & celebratione dignus, propter dignitatem, excellentiam & prærogativam præ fratribus tuis. A juda denominati ſunt judæi: de qvibus Servator noſter, Joann: IV, 22. ἡ σωτηρία ἐκ τῶν Ἰουδαίων ἐστίν.

יודוך אחיך Lavdabunt te fratres tui.] Ita rectè vertit *Vulgatus*, & Græca *Ambroſius*, *Hieronymus*. Alii tamen Codices Græci (notante *Nobilio*,) & *Chryſoſt*: αἰνέσουσι lavdabunt. qvam lectionem nos pro genuinâ habemus. Seqvitur enim comm: προσκυνήσουσι. *Cyprianus*, *Hieron*: in Tradit: *Ambroſ*: *Avguſt*: lavdabunt. *Interpr*: *Origen*: collavdant. & pavlò poſt adorent: Moderna tamen editio habet, αἰνέσαισαν lavdent, ex cod: manuſcr: *Theodoreti*. *Hieron*: In Tradit: qvia jehudah ſignifisat, confeſſio, lavs; vertit: juda tibi confitebuntur, vel, te laudabunt fratres tui. Sed in nominis impoſitione reſpiciebatur poſterior ſignificatio. *Arab*: & *Hiſpan*: tum ſuprà, tum hoc in loco rectè vertunt. Onkelos: te confitebuntur fratres tui. Jeruſolym. addit: & nomine tuo vocabuntur omnes judæi.

ידך בערף וגו' Manus tua in cervice inimicorum tuorum] *Ambroſius* ex Græcis: Manus tuæ ſuper dorſum. ut appareat ipſos ubiq; ſenſum potiùs ſecutos qvàm verba. Alibi hanc ipſam vocem ערף vertunt: τράχηλος, αὐχὴν, νῶτον, σφόνδυλος, &c. *Vulgat*: in cervicibus. *Arab*: & *Hiſpan*: ad verbum interpretantur. Senſus eſt: Hoſtes tuos ſub poteſtatem tuam rediges. metaphora à luctatoribus ſumpta, ubi prævalet, qvi alterius cervicem manu conſtringit. Hoſtes judæ prædicit: ſed victoriam ſimul pollicetur. *Onkelos*: manus tua prævalebit hoſtibus tuis: diſſipabuntur inimici tui: erunt vertentes verticem coram te.

 ישתחוו

ישתחוו וגו׳ Incurvabunt ſe tibi filii Patris tui.] *Ambroſ: Hieron*: ex Græcis unà cum *Vulg*: Adorabunt te filii Patris tui. *Onkelos*: Prævenient te petituri pacem tuam filii Patris tui. In eundem ſenſum Jeruſolym: Petent Pacem, i. e. cupient tecum pacem colere. His verbis alteram primogenituræ, Rubeni ſuprà ademptæ, prærogativam, nempe imperium in fratres, ad Judam transfert Vates. Planè, qvemadmodum Geneſ: XXVII, 31. Iſaacus primogenituram ab Eſav ad Jacobum transtulit, his verbis: Eſto Dominus fratrum tuorum, & incurvent ſe tibi filii matris tuæ. Notandum autem, qvòd Iſaac, cùm ſaltem ex una uxore liberos haberet, optet ut Jacobo ſe incurvent filii matris ejus. Jacobus verò, cùm ex pluribus uxoribus ſuſcepiſſet liberos, de Juda dicit, fore ut ipſi ſe incurvent, non ſaltem filii matris ejus, nempe qvinq; uterini fratres; ſed etiam filii Patris ejus, i. e. omnes undecim fratres. Qvia vox *adorabunt* etiam de cultu religioſo, ſoli Deo competente, dicitur; præferendum eſt in verſione vocabulum *incurvabunt*, cùm ſignificet honoris exhibendi modum, qvi hominibus in dignitate conſtitutis freqventiſſimè defertur. *Ambroſius, Proſper, Origenes*, exiſtimant hîc intelligi adorationem, qvæ Meſſiæ ex Juda naſcituro erat adhibenda. Sed univerſus commatis contextus oſtendit, primum & proprium hîc eſſe de Juda ſermonem.

גור אריה וגו׳ Catulus leonis Juda] ita *Vulgat. Ambros.* & *Hieron.* ex Græcis. *Symmach.* σκύμνος ... *Aqv.* σκύλαξ ... Generali vocabulo, qvod de aliorum animalium catulis etjam dicitur. Sex habent Rabbini nomina, quibus leonem habitâ ætatis ratione, exprimunt. I, גור catulus. hujus proprium eſt, rudere, fremere. II, כפיר Lenunculus, juvenis leo. hujus, ut & reliqvorum proprium eſt, rugire. Illuſtris eſt locus Jerem: LI. 38. ſimul rugient, ut Juvenes Leones: frement, ut Catuli leonum. Babyloniis ibi minatur Deus. Helleniſtæ Cap. XXVIII, 38. Ita vertunt: ὅτι ἅμα, ὡς λέοντες ἐξηγέρθησαν, καὶ ὡς σκύμνοι λεόντων.

qvæ verſio variis de cauſis eſt vitioſa. Etenim, 1, particulam cauſalem addit, qvaſi hoc commate cauſa contineretur, cur puniendi eſſent Babylonii. cùm tamen pœna indicetur, iisdem à Deo immittenda. 2. vocem ישאגו, qvæ rugitum leoninum ſignificat, explicarunt de leonis excitatione: ſenſu longè alieniſſimo. 3, τὸ כפיר, qvod leonem ſignificat, ætatis inter catulum & adultum intermediæ, verterunt, ac ſi ſignificaret leonem grandævum. 4, vocem כערן planè omiſerunt, III., ארי & אריה, leo adultus, leæna adulta. שחץ Job. XXVIII, 8, etiam inter leonis nomina referunt Talmudici. Itaqve בני שחץ Targum vertit בני אריון, catuli leonum. Eadem phraſis extat Job. XLI, 25. Prius Hellen. vertunt ἡοὶ ἀλαζόνων. Poſterius, τὰ ἐν τοῖς ὕδασιν. Symm. παντὸς βρομώδους. Th. ἡῶν βαναυσίας. Targum etiam pro כפיר Pſalm. XVII, 12, habet שחצא. Itaq; שחץ Paraphraſtæ ſignificat & כפיר & אריה. IV, שחל, Leo mediæ ætatis, Leo ferox. V, לביא, Leo immanis: VI. ליש, Leo annoſus. obſervant has voces, qvæ huic animali tribuuntur, propter multa ſcripturæ loca, in qvibus eorundem fit mentio. Ea verò ita confundunt Helleniſtæ, ut eandem vocem variis in locis diverſè interpretentur. Eſa. V. 29. Rugitus ei, ut leonis: rugiet ut juvenes leones, & fremet, & prædam tenebit, & ſpoliabit, & non (erit) qui eruet. Quem locum Helleniſtæ: Ὀργιῶσιν (al ὁρμῶσιν) ὡς λέοντες, καὶ παρέστηκαν ὡς σκύμνοι λέοντος, καὶ ἐπιλήψεται, καὶ βοήσει ὡς θηρίον. καὶ ἐκβαλεῖ, καὶ οὐκ ἔσται, ὁ ῥυόμενος αὐτούς. ubi τῷ שאג duas tribuunt ſignificationes, fremere, adſtare; cùm tamen prius, catuli ſit proprium: poſterius etjam ab hujus loci ſenſu plane alienum. deinde נהם fremere, vertunt; apprehendere. ſed nihil alienius, qvàm pro, *tenere prædam*, vertere; *clamare qvaſi fera*. Tandem pro ſpoliabit; ἐκβαλεῖ, eijciet. Omnes, qvæ Leonem propriè ſignificant, voces extant Job. IV, 10, 11. Rugitus leonis, & vox leonis ferocis; & dentes juvenum leonum ſunt evulſi. Leo major pe-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 00864 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 864

rit, carens præda: & filii annoſi leonis ſe ſeparant. Hellen: Σθένος λέοντος, φωνὴ δὲ λεαίνης, γαυρίαμα δὲ δρακόντων ἐσβέθη. Μυρμηκολέων (al: λὶς) ὤλετο παρὰ τὸ μὴ ἔχειν βορὰν, σκύμνοι δὲ λεόντων ἔλιπον ἀλλήλους: pro *rugitus*, illi, *robur*. pro *leo*: *leæna*. pro, *dentes juvenum Leonum ſunt evulſi*; illi, *gaudium draconum exſtinctum eſt*. Pro, *leo major*, illi, *myrmicoleon*.

מטרף וגו׳ *A præda, fili mi, aſcendiſti*] *Ambroſ.* & *Hieron*: Græca: *ex germine, fili mi, aſcendiſti*. τὸ טרף nec rectè, nec perſpicuo ſenſu *germen* vertunt *Helleniſtæ*. Favet iis *Pagninus*, qvi exiſtimat vocem eſſe æqvivocam, & ſignificare tum prædam, tum germen. Ipſi qvidem in aliis locis omnibus vertunt βορὰ, βρῶμα, ἅρπαγμα, διαρπαγὴ, ἅλωσις, τροφὴ, & θηρίον. nuſqvam niſi hoc in loco βλαστός. Senſum illi, ut ſolent, attendentes, cùm viderent immediatè præcedere Catuli leonis mentionem, cui perpetuum eſt prædam deſiderare; nunc fieri mentionem ejuſdem à præda reducis; catulum exiſtimarunt innui ab avitâ, ſeu leoninâ naturâ non degenerem, id eſt, qui prædæ inhians genuinum ſe leonis fœtum eſſe oſtendat. etjam incrementum ejuſdem conſiderarunt, ut, qvi non ita pridem catulus erat, pedetentìm, germinis inſtar ſenſim creſcentis, robuſtus leo, prædæq; capax evaſerit. Hoc videtur innuere *Onkelos*: Poteſtas erit in principio, & in fine magnificabitur regnum de domo Jehudah, eò qvod à judicio occiſionis, mi fili, animam tuam avertiſti. quod *Onkelos* dicit judicium occiſionis, Paraphr. Jeruſolym: explicat de liberatione Joſeph & Thamar; addens fore, ut nec populus, nec regnum poſſit coram eo conſiſtere. *Aqv.* ἀπὸ ἁλώσεως, *à captura*; ſenſum exprimit. *Symm.* ἐκ θηριαλώσεως, *ex captura ferarum*; magis ſignificanter. θηριάλωτον enim dicitur, qvod à beſtia eſt comeſtum. Ebr: טרפה Vulgat: *ad prædam*: contra ſenſum. Nam hoc, ad prædam tendentis; illud verò, redeuntis eſt, & prædâ jam potiti. *Hieron.* in Tradit. *de captivitate*.... Sed illa vox propriè ipſam detentionem, αἰχμαλωσίαν ſignificat,

&

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 00864 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 864

& de hominibus frequenter dicitur. Studio itaq; videtur Hieron: hanc vocem poſuiſſe, ut oſtenderet ſe à præcedentium verborum proprietate diſceſſiſſe. Nam qvod Leoni eſt prædæ captio: id victorioſo hoſti eſt in captivitatem abductio. Porrò, explicat ſe Hieronymus: *ut oſtenderet eum captivos populos eſſe ducturum. Et juxta intelligentiam ſacratiorem, aſcendiſſe in altum, & captivam duxiſſe captivitatem. Sive, qvod melius puto. captivitas paſſionem: aſcenſus reſurrectionem ſignificat.* Sed cùm præcedentia rectè ad verbum, & propriè vertiſſet; in eadem ſignificatione debuiſſet perſiſtere, & ſenſum peculiari extra verſionem loco explicare. Præterea *captivitas* à Hieronymo debet exponi, ſenſu activo. Cùm verò ad Servatoris paſſionem applicatur, paſſivum ſenſum habet. טרף propriè, rapina, præda, à טרף diſcerpſit, prædatus eſt. Atq; in hunc ſenſum rectè verterunt *Arab. Hiſp.* & Vernacula.

כרע רבץ וגו׳ *Super crura ſe incurvavit, cubuit tanqvam leæna, & tanqvam leo immanis: qvis excitabit eum?*] Deſcriptio eſt maximæ potentiæ, qvæ penes hanc tribum reſidebit. Eadem locutio exſtat Num. XXIV, 9, diciturq; à Propheta Bilham de exercitu Jſraelis. *Philo.* lib. I, de vita Moſis dicit ſignificari his verbis tremendum leonis robur, qvod neminem ipſe timens, alios territet; qvodq; infelix ſit, qviſqvis eum excitaverit. Etenim leoni præ aliis hoc maximè proprium, qvòd, etiamſi nihil mali conetur inferre, tamen, ob ſummam aſpectus gravitatem, intuentibus timorem injiciat. *Helleniſtæ*, & ex his *Ambroſius*: Recumbens dormiſti ut leo, & tanqvam catulus leonis. *Hieronymus* ex iisdem: Procumbens ut leo. qvòd hîc vertunt ἀναπεσὼν, id in loco parallelo, Num: XXIV, vertunt, κατακλιθείς. qvod hîc ἐγερεῖ: ibi ἀναστήσει. verùm רבץ de leone cubante dicitur; non de dormiente. לביא, qvod immanem leonem ſignificat, & tantùm non decrepitum, minus rectè interpretantur, σκύμνος, voce qvam de catulo paulò ante uſurparunt. Præterea, tertiam perſonam mutant in ſecundam, atq; præteritum abſo-

abſolutè poſitum כרע vertunt formâ participii. Idem etiam *Aqv*: qvi, κάμψας κατεκλίθης, *poſtqvam incurvaſſes te, reclinatus es.* & *Symmach:* qvi ὀκλάσας ἡδράσθης, *poſtqvam te ingeniculaſſes, firmatus es.* Uterq; etiam ſenſu alieno: qvaſi præ laſſitudine cubaret leo ad vires recolligendas. *Vulgat*: non rectè vertit, *reqvieſcens*: cum Vates de fortitudine loqvatur. neq; rectè pro אריה, *leo*, cum leænam ſignificet. multò minùs, pro לביא, *leæna*, qvarum vocum ſignificationes ſuprà attigimus. Rectè *Arab*: & *Vernacula*. Sed *Hiſp*: utrobiq; eandem vocem retinet. *Onkelos*: qvieſcet, habitabit in fortitudine, ſicut leo, & ſicut leæna; non eſt regnum, qvod commovebit eum. De ſummo robore rectè exponit. Hactenus prædixit Vates tribui Juda, 1, excellentiam ſuper fratres, & in eosdem imperium. 2, victoriam de hoſtibus. 3, dignitatem & potentiam ſummam i. e. Regiam. Hujus prærogativæ partes ſev gradus, variis ſcripturæ locis ſparſim annotantur, usq; ad tempora Davidis, primi ex hac familia Regis, cum qvo Regia dignitas ortum habuit. Ipſam Juda electionem indicat 1. Paralip. V, 2. Hujus effectus apparuit in multiplicatione prolis Numer. I. ita ut, cùm reliqvorum Iſraelitarum numerus, II Sam. XXIV, 9, aſcenderet ad octingenta virorum millia; ſola hæc tribus haberet qvingenta millia. Idcirco, cum inter Jacobi filios dividenda eſſet terra Canaan, longe ampliſſimam portionem habitâ multitudinis ratione obtinuit, & ante reliqvas omnes portionem cepit, Joſv. XV. in caſtra metatione, huic tribui ante alias omnes caſtra aſſignata, Num. II, 3. Primum ordinem in itinere habuit, Num. X, 14. Primum etjam locum in oblationibus faciendis, Num. VII, 12. In benedictione, ſtatim poſt Ruben, in cujus dignitatem ſucceſſerat, à Moſe, etjam Levi natu majori præpoſitus, Deut. XXXIII, 7. Ex hac tribu Hur vocatus, ut abſentis Moſis vices gereret, Exod: XXIV, 14. Juda, belli ſacri Dux à Deo nominatus, Jud. I. 2. XX, 18. Tempore judicum, etiam ex hac tribu Judices conſti-

tuti.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 00864 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 864

tuti. Sed in Davide cœpit ad Regiam dignitatem aſcendere. I. Chron: XXVIII, 4. dicit David: Elegit Dominus Deus Iſrael me ex omni domo Patris mei, ut eſſem Rex ſuper Iſrael in ſeculum. Nam Jehudah elegit in ducem; & in domo Juda domum Patris mei; & in filiis patris mei me voluit, ut regnarem ſuper univerſum Iſrael.

Comm: 10. לא יסור וגו' *Non diſcedet ſceptrum de Juda, nec Legiſlator de medio pedium ejus, usq; dum veniat Schiloh*] Hellen: pro *ſceptrum* habent *Princeps.* pro *Legiſlator; Dux.* pro *Schiloh*; *qvæ repoſita ſunt ei.* Pro qvâ lectione allegantur, *Cyprianus, Cyrillus Alexandrinus, Evſebius Cæſarienſis, Origines, Chryſoſtomus.* AA, LL, ut *Ignatius, Irenæus, Tertullianus, Leo Papa, Ambroſius* & *Hieronymus* legunt, ᾧ ἀπόκειται, cui repoſitum eſt. *Juſtinus Martyr* & *Auguſtinus* utramqve lectionem agnoſcunt. *Theodoreti* cod: mſc: ὃ al. ὃ ἀπόκειται, *qvi*, aut, *qvod reſervatur.* Tot lectionum varietati non fuiſſet relictus locus, ſi Ebræam vocem retinuiſſent. *Aqv:* οὐκ ἀναστήσεται σκῆπτρον ἀπὸ Ἰούδα, καὶ ἀκριβαζόμενος ἀπὸ μεταξὺ ποδῶν αὐτοῦ ἕως ἂν ἔλθῃ . . . Non exurget, i. e. non diſcedet (σκῆπτρον δὲ ἡ φυλὴ ὀνομάζεται, dicit idem) tribus de Juda, & accuratè leges examinans, de inter pedes ejus. *Symm:* οὐ περιαιρεθήσεται ἐξουσία ἀπὸ Ἰούδα, Non auferetur poteſtas. *Ambroſius* Græca vertit: *Non deerit judex ex Juda, & princeps de femoribus ejus, donec veniat, cui repoſitum eſt.* Invertendus omnino eſſet verborum ordo; & priori loco ponendum, *Princeps;* poſteriori, *Judex.* Vulgatus verba non conſiderat, dum vertit: *de femore:* &, *qvi mittendus eſt.* ad verbum vertunt *Arab:* & *Vernacula. Hiſp.* non rectè *eſcrivano.* qvod commune ipſi cum *Onkelos* & *Hieroſolymitano.* Altera Paraphr: *Scribæ docentes legem.* incommodâ periphraſi. Hoc commate Vates præcipuam tribûs Juda præ reliqvis excellentiam exponit, nempe fore, ut ex hac tribu Promiſſum illud, Geneſ: III, 15. mulieris Semen carnem humanam indueret. tempus, qvo Schiloh in carnem eſſet venturus, indicat. tum illius regnum, officium, beneficia erga genus humanum deſcribit. Diverſæ horum verborum, qvæ à variis ſunt al-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 00864 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 864

latæ explicationes, qvamvis inter ſe diſſentiant, in eo tamen conveniunt, de Meſſia intelligendum eſſe hoc vaticinium. Saltem poſterioribus temporibus Judæi, cùm promisſum & venientem Schiloh ex nativitatis loco, tempore, miraculis, Prophetiarum deniq; omnium complementis, agnoſcere nollent; pœnam luerunt, qvam ipſi ſibi ſunt machinati; ut, qvem amplecti noluerunt, ejus beneficiis gavdere non poſſint. Ἐπωρώθη, inqvit Apoſt: 2. Cor: III, 14. τὰ νοήματα αὐτῶν. καὶ ἕως σήμερον ἡνίκα ἀναγινώσκεται Μωσῆς, κάλυμμα ἐπὶ τὴν καρδίαν αὐτῶν κεῖται. comm: 15. Paraphraſes omnes, qvæ apud ipſos in ſumma habentur veneratione, hoc vaticinium de Meſſia interpretantur. De Meſſia qvoq; explicant Bereſchith Rabba, R. Salomo, R. Bechai, aliiq;. Etiam per Cabalam, qvod ratiocinandi genus apud ipſos ſummo in pretio eſt, omniaq; myſteria continere exiſtimatur, dicunt voces Ebr: יבא שילה, veniet Schiloh, totidem numeros conficere, qvot, משיח Meſſias: & hinc concludunt, eſſe omnino hoc vaticinium de Meſſia intelligendum. Qvinimo, in *Gemara Sanhedrin*, cap: כל ישראל, *Schiloh* pro uno ex Meſſiæ nominibus recenſetur: ut appareat, qvę veterum de hoc vaticinio fuerit ſententia. Qvidam avtem recentiorum, qvi modos comminiſcuntur, paraphraſtarum, & anteceſſorum ſuorum interpretationes eludendi, de urbe Silo hoc exponunt. Verùm, 1, illa vox vel ſcribitur שִׁלֹה, ut, Joſu: XVI, 6. XVIII, 1. XXII, 9, 12. 1 Sam: I, 9. IV, 3. 4. Jer: XXVI, 6. vel שִׁלוֹ, ut, Jud: XXI, 19. Pſ: LXXVIII, 60. vel שִׁילוֹ, ut, Jer: VII, 12. Nusqvam verò שילה, ut hoc in loco. Deinde, ſi vel maximè ita ſcriberetur, tamen univerſus contextus ejusmodi epitheta habet, qvæ de nemine, niſi de Meſſia, poſſunt prædicari. Qvomodo venire ad ipſos urbs poteſt? qvomodo eidem obedire populi? qvomodo urbi competent reliqva attributa omnia, qvæ de Meſſia ex hoc vaticinio explicarunt Paraphraſtæ, & ſaniores Rabbini omnes? Neq; יבא occaſum hîc poteſt ſignificare, cum Solis nulla fiat mentio. Qvidam de Jeroboamo exponunt. Sed ſceptrum à Juda tunc non eſt ablatum.

Qvidam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 00864 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 864

Qvidam de Nebucadnezare explicant. Verùm, fauſta ominatus eſt filio Vates in hoc vaticinio. Nebucadnezar verò cladem ipſis intulit. Et habuere poſt ipſius obitum, per aliqvot ſecula, ſuos legislatores. Quidam particulas עַד כִּי ſeparant,& כִּי per *qvando* explicant. Sed obſtat particularum combinatio, qvæ, ubicunq; ſimul occurrunt, ſemper conjungũtur, ad unam notionem exprimendam. Gen. XXVI, 13. de Abraham dicitur, qvòd perrexerit creſcere, עַד כִּי usq; dum creviſſet valdè. Atqvi non potuit in æternum creſcere. XLI, 49, de Joſeph dicitur, qvòd commeatum congeſſerit, עַד כִּי donec deſineret numerare, eò qvòd numerari non poſſet. Ubi ſimilis planè accentuatio eſt, ut in noſtro hoc vaticinio. Præcedit diſtinctivus major Athnak. Seqvuntur particulæ, conjunctim unam temporis notionem & terminum deſignantes. Obſtat commatis contextus. Obſtant paraphraſes omnes. Qvidam conditionatam promiſſionem exiſtimant. Sed oſtendant ejus vel minimum indicium. *Aben Ezra* de Davide exponit. Magna omnino cœcitas eſt, ubi rei initium eſſet ſtatuendum, ibi ejuſdem finem arbitrari. Qvidam vocis שֵׁבֶט ambiguitate abuſi, potiſſimum in illa voce conati ſunt invenire effugia; atq; per ſceptrum, crucem intelligunt. Sed non permittit hanc explicationem, *legislator*; qvem fatentur ipſi multis ab hinc ſeculis eſſe ablatum. Deinde, fauſta ominatur Vates; non funeſta. Huc ſpectat, qvod Rabbini dicunt, Judam, cum videret, qvòd Pater fratribus natu majoribus Rubeni, Simeoni, Levi infauſta prædiceret; veritum, ne & ſibi aliqvid mali prædiceretur, cœpiſſe retrocedere. Qvod cùm animadverteret Pater, blandè ipſum compellaſſe. Itaq; vel ipſis ſuorum traditionibus convinci pertinaciæ poſſunt. Vox סוּר ſignificat totalem rei mutationem, ab eſſe ad non eſſe. Eadem locutio extat Zachar. X, 11. שֵׁבֶט hoc loco ſignificat *Sceptrum*, imperii, poteſtatis inſigne. Ita enim ſumitur 2 Sam. VII, 7. Pſalm. XLV, 7. Amos I, 5.8. Zachar: X, 11. Eſth. VIII, 4, & aliis locis. Atq; ita verterunt Paraphraſtæ. neq; aliam admittit ſigni-

 gnifi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 00864 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 864

gnificationem contextus collatio. Nonnulli vertunt *tribus*; qvaſi diceret: Non deſinet tribus Juda, donec veniat Meſſias. Sed, hac ratione, nihil ex his verbis haberet hæc tribus præ reliqvis peculiare, cùm, aſſumente naturam humanam Servatore, Benjamin & Levi, etjam tribus eſſent; & reliqvæ, qvamvis in captivitatem abductæ, tamen tribus manerent. Qvidam per Juda intelligunt omnes Jacobi filios. Verum, 1, cùm Vates peculiaria ſingulis eventura vaticinetur, non poſſunt, qvæ Judæ dicuntur, ut omnibus communia explicari. 2, ſi Levi familia etjam hoc nomine comprehenderetur, non poſſet Apoſtolus Ebr. VII, 14. Levi Sacerdotium, Judæ contradiſtingvere. 3. Repugnat antecedentium hujus vaticinii commatum connexio; cùm, qvæ in iis continentur, ad Judæ tribum peculiariter pertineant. מחקק Legislator, judex, à חקק leges condidit, ordinavit, decrevit, incîdit, ſculpſit, modo leges conſervandi olim uſitato. Altera Gubernationis pars, τὸ δικάζον, qvi judiciis præſunt, νομοθεσίαν exercent & populo dant חקים ſtatuta. Prov. VIII, 15. Per me Reges regnant, & Principes יחקקי decernent juſtitiam. Ipſa vox de Moſe dicitur Num. XXI, 18. De Deo, Eſa: XXXIII, 22, Jehovah eſt legislator noſter. De Juda, dicit David, Pſalm. LX, 9. CVIII, 9. Juda eſt legislator meus. Jud. V, 14. Ex Machir deſcendunt Legislatores. Hellen: Pſalm LIX, 8. & CVIII, 9. vertunt βασιλεύς. Alibi ἄρχων. hîc ἡγέμενος. מבין רגלין. *De inter pedes ejus.* Ita verecundâ circumlocutione Scriptura notat partes genitales. Deut. XXVIII, 57. Alibi dicitur, egredi ex lumbis: egredi ex femore, Geneſ. XLVI, 26. ἐξέρχεσθαι ἐξ ὀσφύος, Ebr. VII, 5. Senſus eſt: Perpetuò naſcetur ex ejus ſemine Princeps & Legislator, donec venerit Meſſias. עד כי temporis terminum notat, *donec*. Conjunguntur hæ particulæ, Gen. XXVI, 13. XLI, 49. Interdum עד conjungitur cum אשר. Interdum ſolum ponitur, abſq; כי. Eſa: LXII. יבא *veniat*, aſſumptâ ſc. carne humanâ. Ex hoc vaticinio Meſſias in V. T. dictus eſt *venturus*, ἐρχόμενος. Matth: XI, 3. Joannes in carcerem conjectus mittit ad Chriſtum diſcipulos, qvi qværent: Σὺ

εἶ ὁ ἐρχόμενος, ἢ ἕτερον προσδοκῶμεν; 2 Joh. epiſt. comm. 7. Ἰησοῦν Χριστὸν ἐρχόμενον ἐν σαρκί. & 1. Joh. IV, 3. ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα. qvæ vox univerſa redemptionis myſteria, omniaq; Meſſiæ beneficia, ex ejus in carnem adventu, ad genus humanum profluentia, in ſe comprehendit. שילה Nomen eſt Meſſiæ proprium. qvod variè ab Interpretibus eſt tranſlatum. qvam enim qvilibet exiſtimavit eſſe ejus originem, huic verſionem ſuã accommodavit. Paraphr. verterunt, qvaſi eſſet per ellipſin dictum: *cujus eſt regnum.* Eodem ſenſu Helleniſtæ, *cui ſunt repoſita*: hoc vocabulo intelligentes omnia illa qvæ Patribus ſunt promiſſa, atq; à Prophetis prædicta. *Capellus* 1 pag. 325. Crit. Sacr: & *Morinus* ex hac verſione concludunt antiqvitùs lectum fuiſſe שלו, Schello. Verùm, qvis ignorat, illos interpretes ſenſum, qvem ipſi ſibi formant ſeqvi, non verba, etiam in locis maximè perſpicuis? Deinde, nullus unqvam dixit, repertam eſſe in textu vocem *ſchello*; verùm, cúm de vera & genuina vocis Schiloh ſignificatione dubitarent: ita vocem vertiſſe, ac ſi legeretur ſchello. Expreſsè *R. Aben Melek* à Morino citatus: *qvi interpretatus eſt hæc de Meſſia, interpretatus eſt qvoq;* Schilo, *veluti* ſchello, *cujus eſt. Et ſic in Bereſith Rabba: Donec veniat Schiloh*, id eſt, *donec veniat ille, cujus eſt regnum.* Aben Ezra. *Sunt qvi interpretantur juxta Chaldæum Paraphraſten, eodem ſenſu qvo ſchello*, i.e. *cujus eſt.* Præterea, niſi legiſſent, Schiloh, qvomodo potuiſſent Judæi, effugia comminiſci de vocis Schiloh derivatione à ſchilja, & de urbe Schilo. Deniq; qvotqvot ſunt de vocis origine diſcrepantes opiniones, lectionem, *Schiloh*, præſupponunt. Itaq;, cum nullibi, niſi hoc in loco, vox occurreret, voluerũt interpretes id loco nominis ponere, qvod erat à Meſſia tot jam ſeculis expectatum; & qvicqvid Morinus & Capellus de *ſchello* prætendunt, nuda conjectura eſt, à nullo antiqvorum unqvam aſſerta. Capellus poſteà, pag. 364. Crit. ſacræ, exiſtimat lectum olim eſſe שלח, propterea qvod Vulgatus vertat, *qvi mittendus eſt.* Verùm, cum Vulgatus, tum hîc, tum ubiq; ferè à reliqvis interpretibus diſſentiat; ſi qvælibet ejus diſcrepantia Capello variæ lectionis ſubminiſtrabit argumen-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 00864 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 864

gumentum, uno in loco varias eaſdemq́; repugnantes habebit lectiones. Id qvod ipſa Capelli principia evertit. Itaq; cùm nullus interpres hoc ſenſu verterit; nec in Judæorum ſcriptis appareat ejus vel minimum indicium; & Judæi, ſi corrumpere hoc de Meſſia vaticinium potuiſſent, potiùs, legendo שילח, ſpecioſis gloſſis habuiſſent elabendi vias: concludimus, Vulgatum, ob literarum ה & ח ſimilitudinem, eam voci ſignificationem dediſſe. Qvidam exponunt *filius ejus*, qvaſi eſſet ex שליה ſecundina, & affixo 3 perſonæ ו, commutato in ה. qvo ſenſu Chaldæus: *parvulus filiorum ejus*. Sed vox illa, qvam exiſtimant ſignificare *filium*, nusqvam extat. Deinde, ſi vox Schiloh, hoc ſenſu derivanda eſſet à Schiljah, dicendum eſſet non Schiloh, ſed Schiljato שליתו. Porro, שליה habet jod tertiô loco. שילה vero idem habet ſecundo. Eodem ferè ſenſu, exiſtimant qvidam derivandum eſſe à שליל Schelil, *embryo*. Sed nimis procul petita eſt illa derivatio. Qvidam volunt, vertendum eſſe, *munus ipſi*, qvod Pſalm. LXVIII, 30. dicatur, Reges oblaturos, ipſi munera. Verùm, levicula qvævis literarum ſimiliiudo, non ſtatim concludit originem, ipſamq́; vocis ſignificationem. Itaq; cùm nulli tribuatur hæc vox niſi Meſſiæ, adeoq; inter nomina ipſi propria debeat referri; commodiſſimè, abſq; ullius literæ mutatione derivatur hæc vox à rad. שלה *Trāqvillus fuit;* per metonym: felix: ita ut ſit formæ קיטור, & ſignificet, tranqvillitatis, pacis, proſperitatis autorem. In genuino horum verborum ſenſu aſtruendo, & vaticinii termino deſignando, diſcrepantes fuerunt eruditorum ſententiæ. Patres pleriq́; exiſtimant promitti Judæ in hoc vaticinio regnum perpetuum, ſerie continuâ, aut, non niſi ad tempus interruptâ, duraturum, uſq; ad Meſſiæ adventum. Qvæ ſententia Hiſtoriæ Sacræ è diametro adverſatur. Etenim interceſsêre inter hoc vaticinium & Meſſiæ adventum, ſeptendecim ferè ſecula. Atqvi à Jacobi obitu, per annos 660 & amplius, ne unicus qvidem extitit ex hac tribu Rex. Deinde à Davide uſq; ad Sedechiam, ultimum ex hac tribu Regem, continuâ ſerie ſtetit regnum,

per

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 00864 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 864

per qvinqve ferè ſecula. Jechoniæ, penultimo Regi, vaticinatus eſt Jeremias, cap. XXII, 30. non futurum ex poſteris ejus qvenqvam, qvi in ſolio Davidis ſederet. Zedekiæ ultimo Regi, prædicit Ezechiel, cap. XXI. ſceptri ablationem. Non defuit Prophetiæ complementum. Secuta eſt captivitas Babylonica, qvæ duravit uſq; ad primum annum *Cyri* qvando Iſraelitis permiſſum fuit redire in Patriam. Inter hos nominatur Princeps Zorobabel, Sealthiel filius, Jechoniæ nepos. Qvòd Succeſſores habuerit ex ſua familia Principes, Hiſtoria Sacra nõ dicit. *Seder Olam* dicit ſucceſſiſſe Zorobabeli filium Meſullam; & manſiſſe in eadem familia perſonarum aliqvot ſucceſſionem. Ezræ VII, 25. dicitur ab Artaxerxe miſſus in Palæſtinam Ezras, cum mandato conſtituendi judices & Præſides, ad judicandum populum. Etiam, interjectis aliqvot annis, miſſus eſt ad ſuos cum ſpeciali mandato Nehemias. Sed, etiamſi vel maximè concedatur, ſucceſſiſſe in Principatu, continuâ ſerie, per aliquod tempus, Zorobabelis poſteros: tamen, nullus eorum unqvam in ſolio Davidis ſedit, i. e. Davidi tanqvam Rex ſucceſſit; multò minùs, usqve ad Meſſiæ adventum, penes ipſos Regium ſceptrum fuit. Etenim regimen, qvantum Perſarum pace licuit, videntur maximâ ex parte adminiſtraſſe Summi Sacerdotes. Joſephus lib. XI. Antiq. Jud. cap. IV. poſtqvam dixiſſet, Ducem multitudinis fuiſſe Zorobabel, Salathielis filium: & Jeſum, Joſedeci Pontificis filium; tum Mardochæum & Serebæum, tribulium ſuffragiis ad Ducatum evectos, circa finem ita ait: Κατῴκησαν ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις, πολιτείᾳ χρώμενοι ἀριστοκρατικῇ μετ' ὀλιγαρχίας. Οἱ γὰρ ἀρχιερεῖς προεστήκεσαν τῶν πραγμάτων, ἄχρις οὗ τοὺς Ἀσαμωναίου συνέβη βασιλεύειν ἐκγόνους. Redeuntes jam in Palæſtinam ex captivitate Babylonica Judæi incoluerunt Jeruſolyma, inſtitutâ eâ Reip. formâ, qvæ per Optimates adminiſtratur. Summi enim Sacerdotes reb' præerant, usq; dum accideret Aſamonæi poſteros regnare. Lib: XX, cap. VIII, de Judæis Babylone redeuntibus ita ait: Τότε δὴ τῶν ὑποστρεψάντων αἰχμαλώτων Ἰησοῦς ὁ τοῦ Ἰωσεδὲκ τὴν ἀρχιερωσύνην λαμβάνει. οὗτος δὲ καὶ οἱ ἔκγονοι αὐτοῦ,

πεντε-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 00864 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 864

πεντεκαίδεκα ἅπαντες, μέχρι βασιλέως Ἀντιόχου τοῦ Εὐπάτορος ἐπολιτεύοντο δημοκρατικῶς ἔτη τετρακόσια δεκατέσσαρα. Qvoniam igitur juxta Zorobabelem Duces tribulium ſuffragiis ſunt electi; & Ariſtocratica gubernandi ratio fuit introducta; & Summi Sacerdotes, usq; ad regnum Aſamonæorum, rebus præfuerunt, qvomodo poteſt Zorobabeli ejusq; poſteris Regium Sceptrum tribui? Tandem, Maccabæi, Sacerdotes ex familia Jojaribi, qvemadmodum vocantur 1 Maccab: cap. II, 1. Regium ſceptrum ad ſe transtulerunt. Duravit horum Aſamonæorum regnum usq; ad Herodem, qvi Antigonum, ex hac familia Regem, tolli è medio curavit. Hi verò etiamſi maternum genus dicantur duxiſſe ex tribu Juda, illud tamen non poteſt efficere, qvin ad tribum Levi, unde Paternum genus ducunt, jure apud Ebræos in genealogiis deducendis uſitato, debeant referri. Itaq; ſtare illa Patrum ſententia, de regni perpetuâ continuatione in tribu Juda, nullo modo poteſt. *Evſebius* libro VIII. Demonſtr. Evangelicæ, exiſtimat ſceptrum, cujus mentionem facit Vates, jam inde à Moſis tempore habuiſſe ſuam vim, tum ob primum gradum, qvem hæc tribus ſemper habuit in caſtrametatione, itinere, oblationibus, in exercitu ducendo; tum, qvòd ex hac tribu reliqvæ haberent appellationem. Hanc ſententiam amplexus eſt Doctiſſ. Caſavbonus, conatus probare, Exerc. I. contra Baronium, *regnum qvidem Judæ non promitti in ipſius tribu perpetuò ad Chriſtum usq; duraturum: ſed huic qvidem tribui dignitatis qvandam præcellentiam; cunctis verò tribubus, Reipublicæ aliqvam fore inter ipſos formam, donec adveniat Silo.* Prætereà, *ſceptrum, partem eſſe Reip. primariam, penes qvam ſumma rerum, &, ut appellat Ariſtoteles,* κύριον τῆς πολιτείας. Tum, *Judæ appellatione in hoc oraculo univerſum populum Judæorum intelligi.* Sed dum impleri putant vaticinium, per dignitatis qvandam præcellentiam, id non intelligunt, nedum expectant, qvod Vatis verba pollicentur. Prætereà, perabſurdum eſt, Judæ appellatione omnes tribus contineri; cùm Vates unamqvamq; diſtinctè nominet. Nos ſtatuimus, contineri hoc in loco propoſitionem copulatam negativam, eſſeq; verba hoc ſenſu intelligenda. *Non & ſceptrum*

&

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 00864 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 864

& Legislator diſcedent de Juda, donec veniat Meſſias. Proinde, etiamſi alterum ablatum fuerit, nempe regnum; manet tamen firma vaticinii veritas durante altero, nempe Legislatore, donec veniat Siloh. Hujus avtem copulatæ negotivæ contradictoria eſt copulata affirmativa hæc: Et Sceptrum & Legislator diſcedent de Juda, anteqvam veniat Siloh. Hæc ſententia tutò poteſt concedere, tempore Maccabæorum ablatum fuiſſe à Juda ſceptrum, cùm relictus in ea fuerit, (qvod alterum erat Propoſitionis membrum) Legislator, usq; ad Chriſti adventum. Perſarum Reges Ebræis permittebant libertatem vivendi legibus ſuis atq; inſtitutis. Sub Romanis conceſſam iis eandem libertatem, patet ex Joſepho, Antiq. Judaic. Lib. XIV, c. XVII. Poſt Servatoris adventum eſt hæc poteſtas ipſis adempta. Pilato dicunt, Joh. XVIII, 31. Judæi; Ἡμῖν οὐκ ἔξεστιν ἀποκτεῖναι οὐδένα. Fatentur Rabbini, qvadraginta ante urbis excidium annis, ademptum fuiſſe ipſis capitalium cavſarum judicium. Maimonides Hal. Sanhedr. cap. XIV. Porrò, vocem שבט *Sceptrum*, non ſemper ſignificare Sceptrum Regium, conſtat ex plurimis Scripturæ locis. Devt. XXXIII, 5. Moſes vocatur Rex. Idem Num. XXI, 18, vocatur Legislator. Judic. XVII, 6. Temporibus illis non erat Rex in Iſrael. Eadem locutio extat, eodem planè modo & ſenſu, Judic. XVIII, 1. XIX, 1. XXI, 25. Qvi his in locis Rex dicitur, ſuprà cap. II, 16, 17, 18, 19. vocatur שופט judex. 2. Sam. VII, 7, judices omnes, qvi usq; ad initium Regiæ poteſtatis, populum judicarant, vocantur שבטים, *ſceptra*. Iidem 1 Paral. XVII, 7, dicuntur שופטים *judices*. jam verò nemini dubium eſſe poteſt, qvi ſaltem vel obiter legerit politiam Populi Judaici, libro judicum deſcriptam; immenſum intercedere diſcrimen inter judiciariam illam poteſtatem & Regiam. Et certè, ſi nihil interfuiſſet inter utrumq; gubernandi modum, qvomodo potuiſſent petere à Gedeone, Judic. VIII, 22, ut ipſe, cùm judex eſſet, in ipſos dominaretur? Ipſe comm. 23, dominium detrectat. Præterea, ſi Regiam poteſtatem habuiſſent judices, non potuiſſet populus à Samuele petere, 1 Sam. VIII, 5, 19, 20, ut Rex ſibi daretur. Patet itaq;, cùm judices,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 00864 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 864

qvi Regiam poteſtatem nunqvam habuerunt, nihilominus שבטים ſceptra appellentur; tribui vocem שבט iis qvi Reges non ſunt propriè dicti; nec ſemper Regium ſceptrum hac voce deſignari, ſed etiam à Regia diverſam poteſtatem. Præterea, conſtat ex Rabb. hiſtoriis, magnam ſemper fuiſſe conſeſſûs judicii LXXI. virorum poteſtatem. Talmud Cod. Sanhedr. cap. I. *Tribus, Pſevdopropheta, Sacerdos ſummus, non niſi à LXXI. judicum conſeſſu judicantur. Bellum arbitrarium, non niſi ex illorum avtoritate ſuſcipitur. Urbs atriumvè non niſi his jubentibus amplificatur. Synedria tribuum non niſi horum nutu inſtituuntur. In nullam urbem ſententia univerſalis apoſtaſiæ fertur, niſi ab horum judicum collegio.* In eandem ſententiam Maimonides, Hal. Sanhedr. cap. V. Non conſtituunt Regem, niſi de ſententia Synedrii magni LXXI virorum. Non ordinant judicia minora ſingularum tribuum vel urbium, &c. Tandem concludit: Hæc non faciunt, *niſi de voluntate Conſiſtorij prædicti, ſicut dicitur* (Exod. XVIII, 22.) *qvicqvid magnum eſt adducant ad te.* Hic conſeſſus propter legum ferendarum poteſtatem, vocatur מחקק Legiſlator. De hoc conſeſſu gloriatus eſt David Pſal. LX, 9. & CVIII, 9. *Juda* (eſt) *legiſlator meus.* Huic conſeſſui tribuit כסאות *Solia*, Pſ. CXXII, 5. *ibi* (Jeruſolymis) *ſederunt Solia ad judicium: Solia domus David.* Coram hoc conceſſu coactus eſt comparere Herodes, cùm Ezechiam latronem, judicum horum ſententia nec dum damnatum, privato avſu necaſſet. Caput hujus conſeſſus dicebatur נשיא Princeps. Proximam huic dignitatem habebat אב בית דין Pater Conſiſtorii. Maimonides Hal. Sanhedr. cap. I. *Qvi Sapientiâ antecellebat cœteros omnes, eum faciebant Præſidem ſev Caput Conceſſûs. Is ipſus eſt, qvem eruditi ubiq; terrarum appellant* נשיא i. e. *Principem; iſq; præeſt loco Moſis Magiſtri noſtri. At, qvi inter LXX Senatores, annorum ratione natu maximus erat, eum collocabant à dextra illius, vocabantq; AB BETH-DIN,* h. e. *Patrem Conſiſtorij.* Princeps, qvem Maimonides hîc dicit, ubiq; terrarum appellari נשיא, ſi idem eſſet cum eo, qvem *Avtor Zemach David* dicit omnia legis negotia, ſtatuta atq; judicia adminiſtraſſe, dubitari ampliùs non poſſet, qvin per *Sceptrum,* Præſes Synedrii intel-

intelligatur. Etenim, qvem Maimonides dicit ubiq; terrarum vocari *Naſi*, hic dicit eſſe è familia Davidis. Verba ejus ſunt: *Erat mos Jeruſolymis, qvòd, licèt regnum eſſet è familia Chasmonæorum, & poſt illos è domo Herodis; tamen perpetuò eſſet* נשיא *Princeps è familia Davidis: qvia Rex egrediebatur atq; intrabat cum militia, idq; ob negotia regni. Sed omnia negotia Legis ſtatuta atq; judicia perficiebantur ex præſcripto Sũmi Sacerdotis & Principis ex familia Davidis.* Hoc Synedriũ ſuſtulit Herodes, poſtqvã adveniſſet Schiloh, promiſſus mũdi Servator. *Chronicon Jedidæi Alexãdrini* apud *R. Azariam* cap. XXXII *Meor Enajim. Erant tũc* (loqvitur de temporib⁹ captivitatem Babyl. inſecutis) *duo genera Principatûs ſuper populũ; Duces è domo Davidis,* & *Sacerdotes è tribu Juda* (leg. *Levi.*) *Qvilibet Principatus fuit ſejunctus usq; ad dies Chasmonæorum.* Interjectis nonnullis: *Poſtmodum ſurrexerunt Chasmonæi, attraxeruut ſibi imperium domûs Davidis cum Sacerdotio ſummo. qvapropter excitata fuit inimicitia & invidia:* Tandem de Herode ita dicit: *Anno* XXX *regni ſui violenter invaſi necavit Sanhedrin, qvi erant è domo Davidis, & ſelegit Hiſtoriographum & Sanhedrin ex reliqviis populi, iſtos qvi videbantur magis eruditi.* Id certò conſtat, poſt Magorum adventum & perpetratum ab Herode infanticidium, duraſſe adhuc Synedrium, ſev Legislatorem ex domo David, i. e. ex Juda. Etenim, apud Joſephum lib. XIV Antiqv. Judaic. cap. XVII, cavſa cur Herodes coram hoc conſeſſu vocaretur in judicium, præter cædem Ezekiæ latronis, erant matres infantum, qvos Herodes occidi juſſerat. Etenim non deſinebant qvotidiè in templo rogare tum Regem tum populum, ut coram judicum conſeſſu facti ſui rationem redderet. Itaq; poſt natum jam Servatorem, tempore inter Magorum adventum & Servatoris ex Ægypto reditum intermedio, ablatus eſt à Juda Legislator. Atq; ita impletum eſt vaticinium, qvòd non deſinerent naſci ex Juda ſceptrum & Legislator, donec veniret Promiſſus mundi Servator. Et ex hujus vaticinii collatione cum rerum ſuarum ſtatu, poterant indubitatò colligere, ipſum eſſe verum Meſſiam.

ולו יקהת וגו׳ *Et ipſi obedientia populorum*] Ita rectè *Vernacula. Ambroſ.* ey græco, ut & *Vulgat*: *Ipſe erit expectatio gentium.* Qvaſi

eſſet

eſſet תקוה à rad. קוה. qvæ derivatio voci non convenit. *Onkelos* recte: *ei obedient populi.* Jeruſolym. ferè eodem ſenſu: *Ei ſervient omnia regna terræ. Arabica, Hiſpanica,* & Rabbini pleriq;, *congregatio populorum. Aqv.* σύστημα λαῶν, Verùm, cùm Prov. 30, 17, commodiſſimè vertatur, *obedientia*; nulla cogit neceſſitas, ut ab illâ ſignificatione recedamus. Qvoad ſenſum tamen, non multùm inter ſe differunt hæ verſiones. Etenim congregabuntur populi, ut obedientiam præſtent, eamq; non coactam, ſed ſpontaneam, qvalem tenentur Parentibus deferre liberi. Qvidam à קהה *obſtupeſcere.* Sed inepta eſt hæc derivatio, & à connexione textûs aliena. Qvidam à נקה *Mundus, innocens fuit*: qvaſi ſenſus eſſet; purgabit gentes, ſc. à peccatis. Qvi ſenſus qvamvis non ſit abſurdus: tamen cum præcedentibus non ſatis aptè cohæret. Alioqvi, videri etiam poſſet deducta à לקה, ſi illa radix in uſu eſſet; planè ut à לקח, מקח. Sunt itaq; vocis Radicales יקה, & ſignificat obedientiam; planè ſicut Prov. XXX, 17. ubi Hellen: malè vertunt γῆρας. *Joſeph Medus* exiſtimat connectenda eſſe cum ſuperioribus hæc verba, ita ut עד כי ἀπὸ κοινοῦ ſit repetẽdum, hoc ſenſu: Non diſcedet ſceptrũ &c. donec veniat Schilo, & donec aggregati ad ipſũ fuerint populi. Sed obedientia illa, cujus mentionem facit Vates, vel aggregatio non debet ad tam breve tempus reſtringi; neq; tum dici finita, cùm primò cæpit: ſed intelligenda eſt de obedientiâ qvam homines, tum Servatoris voce, tum Evangelicæ Prædicationis ſono ad ſaluificam fidem ducti, Meſſiæ exhiberent. Pſalm. CX, 3. Eſa: II, 2. XI, 10. Mich: VII, 12. Et de Judæis dicitur & de Gentibus.

Comm. 11. אסרי וגו׳ *Ligans ad vitem pullum ſuum, & ad generoſam vitem, fili mi, aſinam ſuam*] י in אסרי eſt Paragogicum. Ineptè *Hellen.* & ex his Ambroſius, & Hiſpan. בני *fili mi* vertunt qvaſi de pullo aſinæ eſſet intelligendum: cùm י ibi non ſit paragogicum, ſed affixum primæ perſonæ. Malè etiam Hellen. pro *electa*, generoſa vite ponunt *helix*, qvæ *Plinio* hederæ genus eſt, nunqvam fructum ferens. *Ambroſius* græcam vocem retinet. Hieronymus, *funiculo*, ineptè. Idem שרקה, in verſi-

one

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 00864 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 864

one retinet, qvaſi nomen proprium eſſet, adeoq; non vertendum. *Vulgatus* vocum גפן, שרקה proprietatem non eſt aſſeqvutus. Rectè vertunt *Arabica* & *Vernacula.* Notat Hieronymus pro *pullum*, in Ebræo poſſe legi, *urbem ſuam.* Vult dicere, τὸ עיר ſignificare *aſinam*, & *urbem.* Sed qvomodo viti alligabit urbem? Et, qvæ urbi cum aſinâ ſimilitudo? Tamen *Onkelos* abſurditatem hanc non vidit. Malè Helleniſtæ pro שרקה habent ἕλιξ, cum nec vocis ſignificatio hoc admittat, nec poſſit ad tenuem capreolum aut claviculam alligari aſina. Rabbini nonnulli, aliiq; putant fertilitatem regionis juda deſcribi, & à vini copiâ commendari. Verùm de Meſſiâ explicant Paraphraſtæ. Deinde, connectitur immediatè hoc comma præcedenti per participium אסרי *ligans*; qvod, cùm nec in hoc, nec in ſeqventi commate ſubjectum habeat, cum qvo poſſit convenire, ad nullum aliud poteſt referri, qvàm ad præcedens *Schiloh.*Ættereà, id ipſum evincit ſermonis ad filium converſio, qvâ ad attentionem ipſum excitat, ut conſideret, qvæ & qvanta ſit præſtiturus, qvi propediem ex ejus ſtirpe prodibit. Neq; enim in vaticinio tam inſigni inanis fingi poteſt repetitio, ut, poſtqvam dixiſſet *pullum*, exiſtimetur, mutatis ſaltem verbis, dixiſſe, *filium aſinæ.* Qvidam exiſtimant prædici hæc de Chriſti ingreſſu jeruſolymam ſuper aſinam & pullum; eodem modo, qvo prædixerat Zacharias cap. IX, 9. Qvidam de Gratiæ Divinæ abundantia in N. Teſtamento. Qvidam, ſignificari Collectionem Gentium ad ſocietatem Eccleſiæ judaicæ; cùm Eccleſia vineæ comparetur, Eſa. V, Pſalm. LXXX. Jerem: II, Luc. XX. Zachar: III. Cantic. VII. Hoſ. X. Qvamvis non ſint usq; adeo incommodæ hæ expoſitiones, tamen exiſtimamus indicari his verbis Eccleſiam Veteris & Novi Teſtamenti, alligatam Chriſto veræ viti, qvemadmodum Joann. V. ſe ipſe appellat.

כבס וגו' *Lavabit in vino veſtimentum ſuum, & in ſangvine uvarum operimentum ſuum*] Pro *uvarum*, Helleniſtæ σαφυλῆς. qvod ſeqvitur Vulgatus. Dum ſangvinem dicit Vates, vinum rubri coloris innuit. Græca Ambroſius vertit: Lavabit in vino ſto-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 00864 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 864

lam ſuam, & in ſangvine uvæ anaboladium ſuum. Freqvens eſt Ambroſio, græca, cùm ſubdifficilia ſunt, abſq; verſione latinis inſerere. qvemadmodum, paulò antè, *helici*: ita hîc, *ſtolam, anaboladium*. Stola *Ulpiano* inter muliebria veſtimenta cenſetur, qvibus vir non facilè uti poteſt ſine vituperio. Tamen apud *Plutarchum* in Dione, *Dionyſius* major, ne fratrem qvidem aut filium in cubiculum admittebat, niſi prius illi Stolam ſuam depoſuiſſent. Apulejo ſumitur pro veſtis Sacerdotalis genere. Ἀναβολάδιον (vel ut nonnulli, ἀναβολάγιον) Sindonis genus eſt, qvo humeri operiuntur. ־ה in עירה & סותה eſt Affixum 3 perſonæ, pro ו. Porrò, סות per Aphæreſin pro כסות à כסה *Texit, Operuit*. Significatione non malè convenit cum מסוה Velamen, Velum. Egregiè convenit hoc vaticinium cum ſtatu Servatoris deſcripto Eſa: LXIII.

Comm. 12. חכלילי וגו׳ *Rubicundior oculos vino, & candidior dentes lacte*] *Vulgatus* pro *Rubicundior*, vertit, *Pulchriores*; reſpiciens alterius membri ſenſum. ſed חכלילות Proverb. XXIII, 29, ſignificat Rubedinem. Atq; ita rectè vertit Targum יסמקון Rubicundi erunt. Opponitur לבן *candidus*. Ambroſius prius membrum vertit ambiguè. *Hilares oculi ejus vino*. Poteſt enim intelligi, *ex vino*, vel, *ſuper vinum*. Vocem ita explicat *Diodorus Tarſenſis*: Δείκνυσι τὴν ἀπὸ τοῦ πάθους γενομένην εὐθυμίαν. εὐφροσύνη γὰρ τῆς οἰκουμένης τὸ σωτήριον πάθος. Qvod *Helleniſtæ* χαροποιοί, AA LL χαροποί. *Schol*: θερμοὶ *calentes, ferventes*; διάπυροι, *ignei*; φοβεροί, *terribiles*. Interpr. Origen. *Gratifici*. Cyprianus, *formoſi*; vel, ut cod. alii, *formidoloſi*. Hieronymus, *gratioſi*. Auguſtinus, *fulvi, fulgentes*. Irenæus: *lætificabuntur oculi ejus*. Omnes, qvamvis in metaphoricâ interpretarione conveniant; tamen in ſignificatione diſſentiunt. Particula מן cùm & præpoſitio ſit, & Comparativi Gradûs nota; à nobis poſteriori ſenſu ſumitur ob rationes ſuperiùs adductas. Itaq; malè Hiſp. *Bermejo de ojos de vino: y blanco de dientes de leche*. Optimè verò Arabica & Vernacula. Pro ὑπὲρ οἶνον, alii habent ἀπὸ οἴνου. Latini plerumq;, *vino*, vel *à vino*. Jeruſolymitanus de Meſſiæ pulchritudine interpretatur.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 00864 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 864

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 00864 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 864

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 00864 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 864

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 00864 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 864

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 00864 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 864

Det kgl. Bibl. Bogb.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 00864 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-76 4° 864